

Sicut habent alii, non retinebo michi? Argumenta sui sic criminis ipse refingit,
Liber et est vicio, dicit, vt alter homo.
Hec tamen, vt credo, fингit contraria vero,
Nam magis est sanctus omnibus ille status.
Ex improuiso sumi reliqus valet ordo,
Quo minor est culpa, si cadat inde rea;
Assumi subito set presbiteri sacer ordo
Non valet, immo suas spectat habere vices. 1740
Nam per quinque gradus scandit prius, estque probatus,
Quolibet vnde suum preuidet ipse statum:
Omnis et inde gradus a presule sanctificatus
Est et non alio, sanccior vt sit eo.
Per caput atque manus est crismate presbiter vncus,
Vt sit ob hoc aliis dignus in orbe magis;
Accipiensque iugum votum vouet ammodo castum,
Quo faciat munda mundior acta sua:
Et quia preuisa sic vota facit, puto culpa,
Dum facit econtra, fert grauiora mala: 1750
Qui daret exemplum virtutis et est viciosus,
Errat plus ducto ductor in ore meo.
Hiis circumspectis michi sic per singula causis,
Estimo presbiteros te magis esse reos.

Se licet excuset fingens sibi verba sacerdos,
Nulla sue mentis interiora iuuat;
Inmemor immo sacri quem ceperat ordinis, vltro
Scandala sic facti querit in orbe sui.
Non puto presbitero sutorum quod status vnit,
Culpa nec in simili lance coequat eos: 1760
Presbiter et laicus non sunt Bercarius vnum,
Nec scelus in simili condicione grauat.
Castum se vout sibi cum fuit vnta corona,
Stringitur et voto quisque fidelis homo.
Non foret hic tanti mercede locatus honoris,
Sit nisi quod maius inde subiret onus:
Nam nequit hoc facere rex est qui maior in orbe,
Quod minor in Christo presbiter ipse potest:
Sic, quia de iure reliquis prefertur honore,

1747 vout CEHGT vout SDLH. 1760 nec in simili conditione
grauat (om. ll. 1761 f) C

Ledit eum grauius crimine iuris onus.
Heu! quod iniqua manus mulierum feda pudendis
Debet in altari tangere sacra dei!
Qui corpus domini tractabit, et est meretrici
Turpiter attractus, Cristus abhorret opus.
Qui fierent Cristi serui, sunt dumque ministri
Demonis, heu! nostram quis reparabit opem?

Hic describit qualiter omnia et singula que sacerdotii
concernunt officium magne virtutis mysteria designant: et
primo dicet de vestibus sacerdotalibus ex vtraque lege com-
petenter dispositis.

^{ap. xxiii.} O bene si penset que sunt sibi iura sacerdos,
Quid sit honor, quid onus, quid vel honoris opus,
Singula qui iuste sibi ponderat, instat et eque,
Res est mira nimis, si male gestet onus. 1780
Omne quod ille status sibi vendicat esse beatum
Cernitur, vt sancti sint magis inde viri.
Non est tam modicum quod misse spectat ad usum,
Lege sacerdotum quin decet esse sacram.
Ornatus variis, quibus vtitur ipse sacerdos,
Virtutis varie mistica signa gerunt.
Poderis est vestis, aliter que dicitur alba,
Presbiteri corpus que tegit usque pedes:
Vt foris est albus, fieret sic albior intus
Presbiter, vt mores gestet in orbe bonos. 1790
Cinctus ephot Samuel domini studet esse minister,
Cui paruam tunicam texuit Anna parens:
In tunica tenui fidei doctrina notatur,
Qua tenues animos gracia mater alit:
Ex lino factum per ephot signatur honestas
Carnis, quam mundam presbiter ipse geret.
Balteus est eciam, tunicam qui stringit honeste,
Ne femur in luxu facta pudenda sciat:
Fert humerale decens, vt nostras presbiter egras
Confortans animas ad meliora ferat: 1800
Et ligat in summo sapiens capitale sacerdos,
Vt capitis sensus non sinat ire vagos.
Infula vestit eum circumdata, que nitet auro,
Quod virtute sua cuncta metalla regit;

Splendet et in simili forma virtute sacerdos,
Si bene conseruet ordinis ipse statum :
Aurum veste gerit sanctus, cum splendet in illo
Pre reliquis rutilans clara sophia dei.
Ne tunice leuiter possit ruptura minari,
Nobilis in giro texilis ora micat :
Se nec et ipse bonus disrumpat in orbe sacerdos,
Ne pateat rima crimitis vlla sui.
Hac se mundicia precinctus presbiter ornat,
Vt totus mundus munera munda sacret.

Aron et electis vestes texuntur, vt horum
Quisque sacerdotis possit honore frui :
Sic modo presbiteri, seu summi siue minores,
Efficiunt Cristi corpus idemque sacram.
Nam nos cum vinum panemque sacramus in ara,
Hoc verus sanguis vna fit atque caro :
Qui Cristi carnem matris confecit in aluo,
Corpus in altari conficit ille sacrum.
Quadra fit altaris species, vt quatuor orbis
Partibus ecclesie sit solidata fides.
Vestibus ornatus qui sic et moribus extat
Dignus, non aliter, presbiterandus erit.
Quos tante vestes, quos gloria tanta perornat,
Sint magis vt sancti causa requirit eos :
Dedecus ecclesie presul qui talia prestat
Presbiteris laicis, iure negante, parit.
Quos sinus ecclesie recipit, noscat sinus aptos
Esse deo, reliquos euomat ipsa foris.

Hic loquitur qualiter sacrificia de veteri lege altari debita fuerunt in figura ad exemplum nunc noue legis presbiterorum: dicit vterius qualiter ex vtraque lege sacrificantes altari debent esse sine macula.

Capⁿ. xxv. Lex vetus instituit animalia, de quibus olim
Immolat altari plebs holocausta deo ;
Semper et ex omni mortato sic animali
Debita presbitero porcio certa fuit.
Hoc tamen ad Cristi legem latitante figura

1815 Aaron CED

Presbiteris nostris mistica iura notat.
Illa sacerdoti que spectat pars holocausti,
Curatis nostris est memoranda satis :
Heeque sacerdotis sunt partes, pectus et armus
Diuisus dexter, lege iubente sacra.
Pectus doctrine locus est, nam quisque sacerdos
Debet subiectos recta docere suos :
Forcior est armus dexter, signatque quod eius
Actus sit fortis, nulla sinistra gerens :
Armus diuisus docet vt viuendo sacerdos
Excedat populum, nil populare gerens.
Non est tam modicum quid in ordine presbiterorum,
Grande ministerii quin sibi pondus habet ;
Nam lex iuncta vetus cum lege noua manifestant
Vndique presbiteros quod decet esse sacros.
Petrus in Aurora que scribam scripsit, et ille
Testis in hac causa verus et auctor erit.

Lex vetus ista iubet, noua que confirmat, vt omnis
Sacrificans aris inmaculatus erit ;
Absque sui macula sit corporis actus et eius,
Dispicet vnde deo, feda nec vila gerat :
Non habeat maculam, nec sit mixtura reatus,
Ne purum maculet accio praua bonum.

Que tamen hee macule dicuntur in ordine dicam,
Presbiter vt lector sit magis inde memor.
Dicitur hic cecus, qui mundi puluere plenus
Ad lumen vite carpere nescit iter :
Est lippus, cuius mens ingenio micat intus,
Set carnale tamen eius opacat opus :
Albugo cecat oculps, et denotat illum
Qui tumet, ascribens candida facta sibi :
Est paruo naso qui nec discernere parua
Sufficit, et quod agit perficit absque sale :
Est nimio naso, qui non intelligit illud
Quod legit, et doctum se tamen ipse facit :
Est torto naso, qui dulce fatetur amarum,
Et sanctos actus iudicat esse malos :
Est claudus, qui nouit iter, set currere tardus
Heret in hoc mundo, carne ligante pedem :

1863 puluere CEH vulnere SGDL

1840

1850

1860

1870

Fractus pes et fracta manus reputatur in illo,
 Qui claudio peior tardat ad omne bonum :
 Hic est gibbosus, quem mundi sarcina curuat,
 Lumina nec cordis summa videre sinit :
 Corporis in scabie succensa libido notatur,
 Que corrupta suo crimine plura facit.

Predictis viciis si quis se senciat egrum,
 Lex iubet vt panem non sacret ille deo.
 Oza manus tendens accessit vt erigat archam,
 Set nimis audacem mors fuit vta manum :
 Hinc ideo dicunt meruisse necem, quia nocte
 Transacta cohitu coniugis vsus erat.

Declaratur in hoc, quod qui pollutus ad aram
 Accedat, mortis vulnere dignus erit :

Experimenta docent, quod ab hoc detergere sordes
 Feda manus nescit, dum tenet illa lutum.
 Presbiter est dictus prebens aliis iter, et si
 Erret, tunc errant ducre quoque putat.
 Dans sacra siue docens, notat ista loquela, sacerdos
 Si malus est, alii sunt magis inde mali.
 Non sine stat cura quicumque professus in huius
 Ordinis est opere, si bene seruet opus :
 Ergo prius videoas qui scandere vis, et in illum
 Si scandas, facias que iubet ordo tuus :
 Non solum faciem, mores set confer et artes,
 Proficias curis ex quibus ipse tuis.

Hic loquitur quod etas sufficiens, priusquam gradum sacerdotii
 sibi assumat, in homine requiritur: loquitur eciam de suorum
 rasura pilorum, et dicit quod talia in signum mundicie et sancti-
 tatis specialiter presbiteris conueniunt: dicit vterius quod
 presbiteri a bonis non debent esse operibus ociosi.

Cap^m. xxvi. Quam prius assumat, matura requiritur etas,
 Presbiter officium, plenus vt ipse regat :
 Nam flos etatis temptanti congruit hosti ;
 Carnis et etatis feruet vterque calor :
 Iam quos vexat ad huc tenere lasciuia carnis

1890 Accedit SL Accedit CEHGD
Heading 5 f. a bonis non debent operibus esse CE a bonis operibus non debent esse L a bonis operibus non esse D

1907 ad huc SGT adhuc CEHDL

1880

1890

1900

Improba, pastores non decet esse gregis.
 Vt regnare deo possint, sibi rasa corona
 Restat, et vt facta nobiliora gerant.
 Radices non extirpat rasura pilorum,
 Set rasi crescunt multiplicando magis :
 Sic licet expellas omnes de pectore motus,
 Non tamen hec penitus cuncta fugare potes :
 Non ita rasus eris, quin semper habet caro pugnam ;
 Intus habes cum quo prelia semper agas.

Si quando mundum fugias, a puluere mundi
 Perfecte purus non potes esse tamen :
 Nam, licet eniteas summis virtutibus, omnes
 Ex animo culpas non resecare vales.
 Fit tamen ex minimis hec quam retines tibi culpa,
 Ne tua mens tumeat, dum bona multa geris :
 Ex tali culpa tibi soluitur ergo tributum,
 Vt tua mens paueat labe remorsa breui.
 Sepe cadit iustus, fragilis quia vir manet omnis,
 Ne nimis exaltet gloria vana virum :
 Qui leuiter cecidit, vt surgat forcius, ille
 Casum felicem suscipit ante deum.
 Lux estis mundi, set non penitus sine fumo,
 Nam sine peccato viuere nullus habet :
 Sepe boni fructus post temptationa sequuntur,
 Mercedemque suam prelia carnis habent.

Vtile nempe foret suas extinguere flammas,
 Et sanum vicii pectus habere tuum :
 Ne videant oculi per quod temptentur, et aures
 Obtura, vicii ne sonus intret ibi.
 Tucius est aptumque magis discedere pace,
 Ponere quam bellum, vincere quale nequis :
 Integer est melior nitidus gladiator in armis,
 Quam cum tela suo sanguine tincta madent :
 Inque dei missis nitidus sine labe sacerdos
 Victor in hoc placidum fert sibi lucra deum.
 Quale sit hoc quod amas celeri circumspice mente,
 Et tua lesuro subtrahe colla iugo :
 Debet homo sapiens nascentes pellere morbos,

1915 pugnam CEHL pugnam SGT pinguam D
timeat EDL 1922 Nec C

Inueniet tardam ne sibi lentes opem:
 Opprime, dum noua sunt, subiti mala semina morbi,
 Et tuus incipiens ire resistat equus;
 Nam mora dat vires, teneras mora conficit vuas,
 Et validas segetes quod fuit herba facit. 1950
 Si Venus agreditur, tibi sit magis aspera vita,
 Flamma recens modica sepe retardat aqua.
 Ut corpus redimas, ferrum pacieris et ignem,
 Quantum fert anime plus medicina tue.
 Ocia si tollas, periere Cupidinis arcus,
 Extincteque iacent et sine luce faces.

Vt non delinquas, debes imponere culpe
 Frena, vagos gressus, ocia queque fugans.
 Presbiteros opere de re sibi que sit honesta,
 Aut se de precibus sollicitare decet: 1960
 Fecit enim sportas, vt frangeret ocia, Paulus,
 Namque vagans aliquo noluit esse modo.
 Ex requie cerpit pestis seuissima luxus,
 Armiger et fame prodigus hostis honor:
 Ex requie sequitur infortunata voluptas,
 Pauperies anime, criminis omne nephas.
 Luxuriant animi varia sub ymagine moti,
 Saltem virtutis dum caro nescit opus:
 Vtile nempe dabit deus omne viris operosis,
 Debet mercedis pondera ferre labor. 1970
 Sollicitudo decet animam discreta, labores
 Dum subit, vt vicia carne domare queat:
 Sollicitudo iuuat corpus, perquirat vt illa
 Victum, quo licitis viuat in orbe modis:
 Ocia dumque caro petit et torpet labor exul,
 In scelus ex solito more paratur iter.
 Demon femineos et molles diligit actus,
 Quando viri virtus omne virile negat;
 Ocia quippe nocent in talibus absque labore,
 Quorum Cristicolis non valet esse salus. 1980
 Culpa quidem longe facit esse deo, prope virtus;
 Displicet ista deo, placat et illa deum.

1963 serpit CE

Hic loquitur de presbiterorum dignitate spirituali, et qualiter
 hui, si bene agant sua officia, plus aliis proficiunt: sin autem, de
 suis malis exemplis delinquendi magis ministrant occasiones.

xxvii. Presbiteri fit magnus honor maiorque potestas,
 Si procul a vicis sit pius atque bonus.
 Hui sacramenti manibus mysteria summi
 Tractant, quo verbo fit caro iuncta deo:
 Huique scelus lauacro baptismi tollere sancto
 Possunt, quo primus corruit ipse parens:
 Hui quoque lege noua celebrant sponsalia nostra,
 Et si iura petunt cassaque nulla ferunt: 1990
 Hui quoque confessis veniam prestant residuis,
 Errantique viro dant remeare deo:
 Hui quoque celestem nobis dant sumere panem,
 Post et in extremis vncio spectat eis:
 Hui quoque defunctis debent conferre sepultis,
 Inque sua missa reddere vota pia.

Hui sunt sal terre, quo nos condimur in orbe,
 Absque sapore suo vix salietur homo.
 In sale, quod misit in aquas, Heliseus easdem
 Sanat, nec remanet gustus amarus eis: 2000
 In sale signatur prudens discrecio iusti,
 Ut discretus homo condiat inde suos.
 Hui sunt lux mundi, quapropter si tenebrosi
 Sint, tunc nos ceci stamus in orbe vagi.
 Dans offendiculum ceco quo leditur vllum
 Ut deus instituit, hic maledictus erit:
 Ceco preponit obstacula, qui maledicta
 Peccandi prebet per sua facta viam.

Hui sunt scala Iacob tangens celestia summa,
 Plena satis gradibus, vnde patebit iter: 2010
 Hui sunt mons sanctus, per quos descendere debet
 Virtutum culmen quisque fidelis homo:
 Hui sunt consilium nostrum, via recta superne,
 Legis doctores, et noua nostra salus:
 Hui claudunt celum populo, reserant et apertum,
 Possunt huique boni subdere cuncta sibi.
 'Crescite,' dicitur hiis, 'et multum reddite fructum';

1991 residuis SET recidiuis CHDL 1999 Heliseus C Helyseus EL
 2009 No partgr. S

M

Pertinet ad mores ista loquela bonos :
 Dicitur hiis, 'Terram replete'; nota tibi dictum :
 Plenus in ecclesia fructibus esto bonis.

Ante deum vacuus nemo veniet, quia nullus
 2020 Expers virtutis debet adesse deo.
 Sic placare deo iustosque reosque sacerdos
 Debet, et ad celos fundere thura precum :
 Oret ne iustus a iusticia cedat, oret
 Ut praus surget et mala prima fleat.
 O quam res vilis, dum presbiter est ut asellus,
 Moribus indoctus, et sine lege rudis !
 In numero sunt presbiteri celi quasi stelle,
 Vix tamen ex mille si duo luce micant :
 Scripta legunt nec scripta sciunt, tonsi tamen ipsi
 A vulgo distant, quod satis esse putant.
 Sunt tales ; et sunt alii quos ardua virtus
 Ornat in ecclesia, qui bona multa ferunt.
 Emittit coruum Noe, non reddit ille ; columbam
 Emittit, redditum missa columba facit :
 Sic et in ecclesia sunt corui suntque columbe,
 Sunt cum felle mali, sunt sine felle boni.
 Cras primam cantant, cum se conuertere tardant,
 Set tollit tales sepe suprema dies :
 Tales sunt pigri, quos mundi vincula nectunt,
 2040 Nec promissa dei regna sitire volunt.
 Ordinis ipse sui qui seruat iura sacerdos,
 Rebus et exemplis dogmata sancta docens,
 Non honor est tantus, quo non sit in ordine dignus,
 Laus sibi nec populi sufficit, immo dei :
 In clero fateor, quos approbat ardua virtus,
 Illorum merito gracia maior erit.

Postquam dixit de errore illorum qui inter seculares sacerdotii ministerium sibi assumpserunt, intendit dicere secundum tempus nunc de errore scolarium, qui ecclesie plantule dicuntur.

Cap^m. xxviii. Nomine sub cleri cognouimus esse scolares,
 Ecclesie plantas quos vocat ipse deus.
 2050 Orti diuini bonus extat planta scolaris,
 Ecclesie fructus que facit esse bonos.
 Qui studet in morum causis et non viciorum,

Qui sibi nec mundum computat, immo deum,
 Clericus ipse dei super hoc reputatur, et eius
 Principium fine clauditur inde bono.
 Summi doctoris virtutum regula iusta
 Discipulos dociles de ratione fouet :
 Qui studiis herent, cor ad alfa leuant et in altis
 Figunt, hii vera sunt holocausta deo.

2060

Nunc tamen inter eos puto multos esse vocatos,
 Electos paucos condicione probos :
 Moribus hii dudum studii virtute vacabant,
 Nunc viciis studia dant vigilare sua.
 Vix pro materia si nunc studet vnuus habenda,
 Solum set forme sufficit vmbra sue.
 Clericus ire scolas animo paciente solebat,
 Gloria nunc mundi statque magistra sibi,
 Discurrensque vagus potator et accidiosus,
 Deditus et veneri, circuit hic et ibi.
 Ex planta sterili non fiet fertilis arbor,
 Nec faciet fructus arbor iniqua bonos :
 Sepe senecta tenet, tenuit quocumque iuuentus ;
 Si malus est iuuenis, vix bonus ipse vetus.
 Est bona que radix bonitatis germina profert,
 De radice mala germinat omne malum.
 Quisque suos igitur pueros castiget, vt illa
 Virgula non licite mentis agenda fugat :
 Qui virtutis habet iuuenis cum flore magistrum,
 Discat et ipse pie que probitatis erunt,
 Proficiet talis ; set quem doctor viciosus
 Instruit, hic raro fructificabit homo.

2070

2080

Hic querit causam que scolarium animos ad ordinem
 presbiteratus suscipiendum inducit: tres enim causas pre-
 cipue allegat; tractat eciam de quarta causa, que raro ad
 presens contingit.

Cap^m. xxix. Sunt aliqui, studio modo qui perstant animoso,
 Nescio que causa sit tamen inde rea.
 Quicquid agant homines, intencio iudicat omnes ;
 Corde quod interius est capit ipse deus :
 Istis prepositis, verum michi pande, scolaris,
 Dic que sit studii condita causa tui :

M 2

Muniri primo cum te facis ordine sacro,
 Cum te principiis presbiterare venis,
 O que mente tua fuerit tunc mocio summa,
 Hoc vel pro mundi sit vel amore dei?
 Aut tu certa tue michi dic primordia cause,
 Aut tibi que sapio dicere vera volo.

'Sunt plures cause, per quas communis in orbe
 Est sacer hic ordo carus ut ecce modo:
 In prima causa fugio mundana flagella
 Legis communis, que dat amara viris:
 Vtterius video quod non sudore labore,
 Ocia que quero sic et habere quo: 2090
 Tercia causa meum dat vestitum quoque victum;
 Sicque meo placito persto quietus ego.
 Ex hiis causata mea stat deuocio tota,
 Qua poterit cerni rasa corona michi:

Hec est causa scole, ciuilia iura studere
 Que facit, et logicam me docet arte suam.
 Ipsa scoleque gradus michi dat concendere summos,
 Sic et in ecclesiam scandere quero bonam:
 Nam si fama viget, puto quod prebenda vigebit,
 Sicque vacare libris est labor ipse leuis. 2100
 Sic sacer ordo michi placet, et sic litera cleri
 Confert, dum studio pingua lucra gero.
 Nunc causas dixi, constat quibus ordo scolari,
 Sic propter mundum me reor esse reum;
 Nam michi nil melius, dum sufficit ipsa facultas,
 Estimo, quam mundi gaudia ferre michi.'

Est set adhuc causa melior tamen omnibus, illa
 Qua scola discipulum gaudet habere bonum.
 Hec solet antiquis, non nostris stare diebus,
 Que de virtute concipit acta scole. 2110
 Nuper erant mundi qui contempserent beati
 Pompas, et summum concupiere bonum;
 Et quia scire scolas acuit mentes fore sanctas,
 Scripture studiis se tribuere piis.
 Non hos ambicio, non hos amor vrget habendi,
 Set studio mores conuenienter eunt:
 Hii contemplantes celum terrena negabant,

2095 No paragr. S

Causa voluptatis nulla remouit eos:
 Hii neque serviciis optabant regis inesse,
 Nec foris in plebe nomen habere Rabi: 2130
 Hos neque precellens superabat comptus inanis
 Nec vini luxus, nec mulieris amor:
 Moribus experti dederant exempla futuris,
 Que sibi discipulus debet habere scolis.
 Nunc tamen in vicium virtus conuertitur, et que
 Nuper erant mores turpia plura gerunt:
 Que modo scripta dei dicunt se discere laudi,
 In laudem mundi vertit auarus honor.
 O res mira nimis! legit et studet ipse scolaris
 Mores, dum via via sunt magis acta sua:
 Sic quia stat cecus morum sine lumine clerus,
 Erramus laici nos sine luce vagi. 2140

Ex quo tractauit de errore cleri, ad quem precipue nostrarum spectat regimen animarum, iam intendit tractare de errore virorum Religiosorum: et primo dicet de Monachis, et aliis bonorum temporalium possessionem optinentibus; ordinis vero illorum sanctitatem commendans, illos precipue qui contraria faciunt opera redarguit.

Incipit liber Quartus.

Cap^m. i. **S**unt et Claustrales diuerse condicionis,
De quibus vt sapio scribere pauca volo.
Actus vt ipse probat, quosdam possessio signat,
Quosdam pauperies, set similata nimis.
Est bona religio de se, set religionem
Qui fallunt, tales dicimus esse malos :
Qui bene sub claustro viuunt fore credo beatos,
Quos mundanus amor nescit habere reos ;
Quique manus aratro mittunt nec respicientes
Retro, viros sanctos ordo notabit eos. 10
Est deus in monachis, sunt et commercia celi
Hiis, sine qui mundo claustra subire volunt.
Cum quis amare duo pariter contraria sumit,
Alterius vires subtrahit alter amor :
Sic qui presumunt facies laruare sub vmbra
Ordinis, et mundi crimina subtus agunt,
Talibus ipse mea fero scripta, nec alter ab ipsis
Leditur, immo suum quisque reportet onus.
Est nichil ex sensu proprio quod scribo, set ora
Que michi vox populi contulit, illa loquar. 20
Sunt etenim monachi, possessio quos titulauit,
Quidam, quos nullis moribus ordo ligat ;
Nam possessores aliqui sic ocia querunt
Ordinis, vt nequeunt vlla nocua pati :
Ferre famem fugiunt, vnoque sitim supervndant,

14 subtrahet CE

Pellicibus calidis frigus et omne fugant :
Sic gravitas ventris noctis non surgit in horis,
Nec vox rauca cipho concinit alta choro.
Deuoret in mensa talis nisi ferula plura,
Euacuet plures potibus atque ciphos,
Tunc infirmari se credit, et hinc recreari
Postulat, et ludis sic vacat ipse suis.
Est nam vix fessus a potibus ille professus,
Sic cupit in vino dompnus adesse deo :
Vinum dumque geres, ad se trahit hoc mulieres,
Dant simul ista duo claustra relicta modo.
Si celum poterit calefacta veste lucrari,
Et gula cum superis possit habere locum,
Tunc puto quod monachus causa signatus vtraque
Conciuis Petri stabit in arce poli. 40

Hic loquitur de monachis illis, qui contra primi ordinis
statuta abstinencie virtutem linquentes, delicacias sibi cor-
porales multipliciter assumunt.

Cap^m. ii. Mortua cum viuis nulla ratione coherent,
Orbem nec renuens orbis ad acta reddit :
Nil tonsura iuuat, nichil aut vilissima vestis,
Si lupus est, quamuis esse videtur ouis.
Nam falli possunt homines, set fallere Cristum,
Qui nullum fallit, fallere nemo potest :
Ille quidem fucum similate religionis
Damnat, et ad nichil computat illud opus.
Veste tamen sola monachus iam cedit ab orbe,
Et putat in forma sufficit ordo sibi ;
Materiamque sui curat nichil ordinis vltra,
Vestis erit Monachus, mens et in orbe vagat.
Talis enim monachus, quia scit quod in ordine ventris
Ex tenui victu corpora raro vigent,
Postulat oris opem, quas et magis appetit escas
Sumit, vt ex ore gaudia venter agat.
Immemor ipse patris, humeris qui ferre solebat,
Vina suo monachus optima ventre gerit ;
Haurit et in stomachum talis velut amphora Bachum, 50

52 erat... vrbe DL

Est dare nec vacuum ventre tumente locum.
 Pluribus ex causis monachus vitare Lieum
 Debet, ex est vna, ne caro stupra petat;
 Nec bona confratrum vastet, nec in ebrietate
 Desideat, nec eo febricitetur homo.
 Attamen ipse nichil curat, quin replet inane
 Corpus, et est anime cotidiana fames.
 Nunc niueus panis monachis subtileque vinum
 Et carnes festa cotidiana parant;
 Nunc cocus ecce coquit, assat, gelat atque resolut,
 Et terit et stringit, colat et acta probat.
 Si poterit monachus ventrem crassare gulosus,
 Sit labor vt sacris nil putat esse libris:
 Despiciens manna plebs ista nigras petit ollas,
 Preponit vicia moribus atque sua.
 Ne macerare fames crassos queat, en gula plene
 Languentes stomachos ventris amica replet:
 Quid sit honorari nescit, set ventre beari,
 Hoc, dicit monachus, est via, vita, salus.
 Accelerans currit cito, cum pulsatur ad ollam,
 Preterit a mensa mica nec vna sibi;
 Set pede spondaico lensus de nocte resurgens,
 Cum venit ad laudes, vltimus esse petit.

Ordinis in primo monachis domus antra fuere,
 Aulaque nunc grandis marmoris ornat eos:
 Nulla coquina sibi fuerat fumosa, nec igne
 Deliciosa cocus cocta vel assa tulit;
 Non cibus excocitus neque fercula carne repensa
 In primo monachis tempore crassa dabant;
 Corporis ingluies animas non pressit eorum,
 Nec calefacta caro callida stupra petit:
 Vesteque pellicea sua corpora nuda tegebant,
 Qui modo de lana mollius ipsa tegunt:
 Herba dabat victum, fons potum, turpeque vestem
 Cilicum, nec eo tempore murmur erat.
 Non erat invidia claustralium tunc neque pompa;
 Qui fuerat maior, seruit vt ipse minor:
 Non erat argenti pondus neque circulus auri,
 Que poterant sanctum tunc violare statum:

Non tetigit loculos nummus neque vina palatum,
 Nec furit in lumbis carnea flamma suis:
 Hiis fuerat sancta mens propositum bene seruans,
 Perdurans in idem quod bene cepit opus.

Hii fuerant homines iusti, mundum fugientes,
 Quos peccatorum nullus onustat amor:
 Mundus non retrahit illos a tramite recto,
 Illos nec reuocat ad mala feda caro:
 Omnia postponunt que mundus vana ministrat,
 Et celi solum concupiere deum.
 Tunc pudor in stipula nec erat cepisse quietem,
 Nec fenum capiti supposuisse suo:
 Silua domus fuerat, cibus herba, cubicula frondes,
 Que tellus nulla sollicitate dabat.
 In magno Corulus precio tunc floruit illis,
 Duraque magnificas quercus habebat opes:
 Arbuteos fetus montanaque fragra legebant,
 Que condita sale nec speciebus erant:
 Si que deciderant patule Iouis arbore glandes,
 Sumebant, et in hiis convaluere cibis.
 Contenti modicis natura sponte creatis,
 Soluebant summo vota pudica deo.
 Hii tunc iusticie perfecti grana serentes,
 Fructus centenos nunc sine fine metunt:
 Set vetus illa salus animarum, religionis
 Que fuit, infirma carne subacta perit.

Hic loquitur qualiter modus et regula, qui a fundatoribus
 ordinis primitus fuerant constituti, iam nouiter a viciorum
 consuetudine in quamplibus subuertuntur.

Cap^m. iii. In noua multociens animus mutatur, et inde
 Testis erit monachi regula mota michi.
 Fit modo curtata monachorum regula prima,
 Est nam re dempta, sic manet ipsa gula;
 Et modus a modio largissima vina bibendo
 Dicitur in monacho, qui vorat absque modo.
 Ut non lingua loquax dentes turbare gulosos
 Posset, dum prandet, ordo silere iubet:

Ne pes deficiat ventris sub pondere pressus,
 Quando babit monachus persedet ipse prius :
 Expedit et monacho rasum caput esse rotundo;
 Ne coma perpediat pendula quando babit :
 Mutua pacta ferunt monachi, quod, si quis eorum
 Prebibat, in fundo nil remanere sinet ;
 Vasaque sic plena vacuant que replent vacuata,
 Vt faciant Bachi propria festa loci :
 Sic confert monacho vestis largissima pleno,
 Ne pateat grossi ventris ymago sui.

In monacho tali semper fuit ardor edendi,
 Dant cibus et sompnus que cupit ipse magis :
 Quod pontus, quod terra parit, quod et educat aer,
 Ex auidis auidis faucibus ipse vorat ;
 Vtque fretum recipit de tota flumina terra,
 Et tamen aucta maris crapula semper hiat,
 Gurges et vt putei peregrinos suscipit ampnes,
 Quantumcunque fluunt, nec saciatur aquis,
 Vt cremat immensas pluresque faces calor ignis,
 Et sibi, quo magis est copia, plura petit,
 Sic epulas varias consumit ab ore prophano
 Ingluuies monachi ventris amore sui ;
 Sic gerit ille grauem maturo pondere ventrem
 Et levis a Cristo mens vacuata redit.
 Potibus assumptus sacer hic non mobilis extat,
 Firmiter et sumpto stat grauis ipse loco ;
 Sic sumpto vino monachorum torpet inane
 Pectus, et a claustris pondere cedit onus ;
 Sic magis impleta pia gaudent viscera fuso,
 Que fouet afflata spiritus ille, mero ;
 Sic sancti faciunt longos medicamina sompnos,
 Sumptaque vina nimis causa soporis erunt.
 Rite bibens vinum sit castus nescio, namque
 Sic Venus in vinis ignis vt igne fuit :
 Tuciis ergo Venus latitans sub veste dolenti
 Gaudet, subque sacra fronte nephanda gerit.
 Murmurat inuidia monachi sub pectoris antro,
 Os silet exterius, mens tamen intus agit ;
 Et quia lingua tacet, manus est que conscientia signis
 Fabulat in digitis turpia plura satis ;

140

150

160

170

Sicque loquax digitus redimendo silencia verbi
 Dictat, et in rixis plus meretrice fuit :
 Ora tument ira, nigrescunt sanguine vene,
 Lumina commota lenius igne micant.
 Sepe suum feruens oculis dabit ira colorem,
 In quibus alterius mortis ymago patet :
 Non minus in vultu dampnosa superbia tali est,
 Quam si de iugulo sterneret ense suo.
 Sic quamvis ordo prohibet bellare loquendo,
 Pugnat, et in mente discutit ense caput :
 Dum nequit ipse loqui, sub cordis ymagine raucum
 Fratris in invidiam clanculo murmur agit :
 Iram vultus habet, pro verbis murmura reddit,
 Et necat in mente, quem manus ipsa nequit.
 Tunc pallor vultus, suspiria pectoris, horror
 Aspectus mote nuncia mentis erunt ;
 Quicquid homo patitur nam sensus exteriores
 Interior motus ad sua signa mouet.

Allegat vultus affectum mentis, et iram
 Pectoris accensi de grauitate notat :
 Nullus enim mentis, vt se sine voce loquatur,
 Index quam vultus cercior esse potest.
 Quicquid habet vestis nigredo simplicitatis,
 Quid latet interius experimenta docent.
 Prepositum monacho monachus postponit amore,
 Inuidet hos omnes, quos nequit ipse sequi.
 Conuolat ad pulsum campane quisquis in vnum,
 Ordinis et forma cetera vana ferunt :
 Vox canit ipsa choro foris, et mens murmurat intus,
 Os petit in celo, mens set in orbe, locum.
 Sic non materiam seruant set in ordine formam ;
 Fructibus ablatis corpus inane fouent :
 Sic patet exterius labor et sapiencia, set quid
 Stulcior interius occupat actus eos.

180

190

200

Hic loquitur de monachis illis qui contra primitiuam ordinis
 statuta mundi diuicias ad vsus malos, suo nesciente preposito,
 apropriare sibi clanculo presumunt.

Cap^m. iiiii. Nulla vouere iuuat cicius quam frangere votum,

177 oculus T oculus SCEHGDH

Est nam mendaci laus tribuenda nichil.
 Fraternalis amor deberet mutuus esse,
 Inter eos saltem quos pius ordo ligat.
 Non tamen hoc patitur hodierna dies, set in iram
 Prouocat invidia quicquid amoris erat:
 Vt bos campestris, rursum qui ruminat herbas,
 Detrahit in claustro sic semidemon homo.
 Si non corrodi vis, tu corrodia nulla
 Inter eos sumas, est vbi raro fides:
 Dum tua depositum, tunc te reuerenter adorant,
 Set vix si memores amplius esse volunt.
 Nil sibi quod dederat confert fundacio prima,
 Sit nisi quod querant cotidiana lucra.
 Denegat hoc racio, quod homo possessor vterque
 Et mendicus erit, ordo nec illud habet:
 Nunc tamen hos vanos monachos nichil implet in orbe,
 Est quibus vna fames semper et vna sitis.
 Hoc de Ieronimo legitur simul et Benedicto,
 Vt magis exemplis consequeremur eos;
 Ornamenta sui vendunt altaris, et illa
 Pauperis in licitos distribuere cibos.
 Ecclesie bona sunt inopum, que religiosis
 Quando necesse vident non retinere licet.

Si monacho dare vis, sibi possidet omne quod offers,
 Nil set habet proprium, si quid ab inde petas.
 Hii sunt vnanimes, hoc est animo quod eodem
 Quisque suum proprium solus habere cupit.
 Sic quecumque prius vetus ordo statuta colebat,
 Mutatis vicibus inficit ordo nouus.
 Ingenuos raro monachari cernimus, immo
 Ordine rurales, sunt magis ergo rudes;
 Quos tamen in sanctos sanctus creat ordo professos,
 Hii satis ingenui sunt et honore probi:
 Quid dicam set eis, dignos quos ordo nec ortus
 Approbat? immo suum tempus inane ferunt.
 Si Benedictus eos fundauit qui maledicti
 Sunt, deus a parte non benedicit eis:
 Quos magis attraxit mundus quam Cristus, aratro
 Et retro respiciunt, hos mea scripta notant.

216 rara CE

210

220

230

240

Cur, queso, cupiat quicquam qui cuncta reliquit?
 Ad mala cur redeat qui bona facta vouet?
 Terram contempnas qui celum queris habere;
 Si mansura petas, hec fugitiua fuge.
 Numquid habent monachi proprium de iure creati?
 Nescio de iure, tu tamen acta vide.
 Si feretri custos, poterit dum carpere nummos,
 Quid proprium querit, hic michi testis erit;
 Seu quod in officiis monachus quandoque regendis
 Propria conseruat, exitus acta probat.
 Nam cum congeries sibi sit, tunc inde nepotes
 Ditat, et en claustra sic parat ipse noua;
 Sepeque quos natos gignit vocat ipse nepotes,
 Ad laudem Veneris, quam colit ipse pius:
 Eius enim nati sunt facti nomine versi,
 Versaque sic pietas ceca iuuabit eos.

Sic viget in claustris elemosina ficta sinistris,
 Dum monachus genitis dat sua dona suis:
 Sic floret pietas mundo secreta monilis,
 Talia dumque dari fingit amore dei.
 Cum furtum licitum fuerit, tunc dicere possum
 Quod licet ex dono talia ferre deo;
 Set qui sic proprios communia vertit in usus,
 Ex merito doni fert maledicta dei:
 Talibus in donis curuantur claustra ruinis,
 Horrea cum granis compaciuntur eis.
 Centum claustrales macerantur, vt hii duo vel tres,
 Officiis dum stant, pinguis labra gerant.
 'Omnia sunt nostra,' dicunt, lanx non tamen equa
 Pendet, dum solus plus capit ipse tribus.

250

260

270

280

Hic loquitur qualiter monachi extra claustrum vagare
 non debent.

Capm. v. Est mare viuentis habitacio congrua piscis,
 Et claustrum monachi stat domus apta sibi:
 Vt mare defunctos retinere negat sibi pisces,
 Sic claustrum monachos euomit inde malos.
 Non foris a claustris monachus, nec aqua fore piscis

273 vt (ut) CEHGDLT et S

Debet, tu nisi sis, ordo, reuersus eis.
 Si fuerit piscis, qui postpositis maris undis
 Pascua de terra querat habere sua,
 Est nimis impro prium piscis sibi ponere nomen,
 Debeo set monstri ponere nomen ei.
 Sic ego claustral i dicam, qui gaudia mundi
 Appetit et claustrum deserit inde suum,
 Non erit hic monachus set apostata iure vocandus,
 Aut monstrum templi quod notat ira dei.
 Qui tamen in claustro resident, et mente vagantes
 Respiciunt mundum cordis amore nouo,
 In visu domini tales transgressio fedat,
 Quo perdunt claustr i premia digna sui.
 Non est hic sapiens sibi qui bona pluribus annis
 Colligit, et solo dissipat illa die;
 Qui villas monachus et campos circuit, illud
 Sepius incurrit quo reus ipse cadit:
 Sunt tamen ad presens pauci, qui mente vel actu
 Non vaga deliciis corda dedere suis.
 Dixerat hec Salomon, hominis quod inanis amictus,
 Qui patet exteriorius, interiora docet:
 Set licet ex humili monachus se veste figuret,
 Nunc tamen a latere plura superba vides.

Hic loquitur de monachis illis qui non pro diuino seruicio,
 set magis pro huius mundi honore et voluptate, habitum sibi
 religionis assumunt.

Cap^m. vi. Est nigra coruus auis predoque cadaueris, ipsum
 Quem male denigrat ceca libido notans:
 Sub volucrum specie descripsit legifer ipsos,
 Quos mundanus amor religione tegit:
 Hunc eciam tangit quem religionis amictus
 Laruat, vt hinc cicius possit honore frui.
 Turpe pecus monstrum, turpis sine gramine campus,
 Et sine fronde frutex, et sine crine caput:
 Turpior est monachus, habitum qui religionis
 Sumpserit, et monachi condicione caret.

²⁹⁵ sibi om. S (p. m.) vir inserted later bona qui sibi D
 Cap. vi. Heading a f. religionis sibi CE

Vt fugiant mundum iubet ordo vetus monachorum,
 Dicunt quod fugiunt, set fugiendo petunt.
 Pauper, quem sulco genuit nativa propago,
 Vult, licet indignus, esse Priore prior:
 Quem sibi non dederat mundus, scrutatur honorem
 In claustro, veteris immemor ipse status:
 Sic quos iure patris humiles natura creauit,
 Cum monachi fiant, ordo superbit eos:
 Non dompni set et hii domini nomen sibi querunt,
 Et faciunt largam que fuit arta viam.
 Nil graue tangit eos, reputant neque posse grauare,
 Vix nichil ergo sciunt vnde rogare deum.

Hic loquitur qualiter pacienza vna cum ceteris virtutibus a quibusdam claustris, viciis superuenientibus, se translaterunt.

Cap^m. vii. Mortuus est dompnus Paciens, viuitque professus
 Murmur, et in claustris pax nequit esse suis:
 Mortuus est eciam modo dompnus Castus, et ipsi
 Successit Luxus, vastat et ipse domos:
 Dompnus et Inconstans Constanti claustra negavit,
 Que residens Odium vendicat esse sua:
 Dompnus et Ypocrisis dompnnum copulat sibi Fictum,
 Dum sibi Fraus magnum spirat habere statum.
 Quos monachi veteres plantabant nuper amoris,
 Invidie fructus iam nouus ordo parit.

Nil modo Bernardi sancti vel regula Mauri
 Confert commonachis, displicet immo, nouis:
 Obstata avarus eis que superbus et invidus alter,
 Ordinis exemplum qui modo ferre negant.
 Expulit a claustris maledictus sic Benedictum,
 Sic gula temperiem, sic dolus atque fidem:
 Mollis adest Abbas, quem mollia claustra sequuntur,
 Vanaque sic vanos ordinis umbra tegit.
 Spiritus hoc quod erat, nunc extat corpus inane,
 Et dompnus Mundus omne gubernat opus.

³¹⁵ No paragr. S ³³⁶ iam CEHGDTH^s non S

Hic loquitur quod sicut monachi ita et errantes Canonici
a suis sunt excessibus culpandi.

- Cap^m. viii. In re consimili, sicut decreta fatentur,
Iudicium simile de ratione dabis :
Quotquot in ecclesia signantur religiosi,
Si possessores sint, reputantur idem. 350
Vt monachos, sic canonicos quos deuiait error,
In casu simili culpa coequat eos.
Nunc tamen, vt fertur, plures sua iura recidunt,
Apocapata nouo que quasi iure silent :
Hunc rigidum textum, quem scripserat auctor eorum,
Mollificant glosis de nouitate suis.
Sufficit, vt credunt, signari nomine sancti
Ordinis, et facere quod petit ordo parum.
Nomen Canonici si sit de canone sumptum,
Illud in effectu res tibi raro probat : 360
Hiis tamen ad visum gestant in plebe figuram
Sanctorum, set in hoc regula sepe cadit.
Subtus habent vestes albas, set desuper ipsas
Nigra superficies candida queque tegit ;
Actus et econtra se demonstrabit eorum,
Fingunt alba foris, nigra set intus agunt.
Non sic dico tamen hiis, qui sua claustra frequentant
Ad contemplandum simplicitate sua :
Talibus immo loquor, quibus est scrutatus ab infra
Mundus, et exterius celica signa gerunt. 370

Hic loquitur qualiter religiosi male viuentes omnibus aliis
quibuscumque hominibus infelicissimi existunt.

- Cap^m. ix. Estimo claustrales magis infelicibus horis
Pre reliquis nasci, sint nisi forte boni :
Mundo nam monachus moritur viuendo professus,
Quod nequit in mundo, sic velut alter homo,
Exterius gaudere bonis, et si quid ab intus
Sit cupidus mundi, perdit amena poli.
Sic nec presentem vitam nec habere futuram
Constat eum, quo bis est miser ipse magis :
Mortuus hac vita moritur, dum morte secunda
Computet amissum tempus vtrumque suum. 380

Et quia sic mundo moritur, quod viuus ab illo
Ordinis ex iure gaudia nulla capit,
Et nisi corde deum solum meditetur et inde
Gaudeat, in celo pars sibi nulla manet,
Nescio quis stultus claustralii stulcior extat,
Qui se sic proprio priuat vtroque bono.
Tempus inane perit cui presens vita negavit
Gaudia, nec celum vita secunda tenet.

Hic loquitur qualiter unusquisque qui religionis ingredi
voluerit professionem, cuncta mundi via penitus abnegare
et anime virtutes adquirere et obseruare tenetur.

- Cap^m. x. O comites claustri sub religione professi,
Concludam breuibus, quid sit et ad quid onus. 390
Informatus ego sanctorum scripta reuoluī,
Que magis in vestram sunt memoranda scolam :
Sancta valent verba plus, cum plus sint patefacta ;
Vos igitur, monachi, cernite quid sit ibi.
Vouistis, fratres, vouistis ; vota tenete,
Et quod spondistis perficiatis opus :
Vouistis domino vestros conuertere mores,
Vos deus elegit, stetis amore dei.
Propositum vite monachi seruare rigorem
Debent, nec pigeat tempore dura pati : 400
Exiguus labor est, set merces magna laboris ;
Preterit ille cito, premia fine carent.
Hinc monachi sancti mentis conamine toto
Preteritas culpas flendo, ghemendo, lauent.
Nunc humilis viuat, qui vixerat ante superbus,
Sit castus quisquis luxuriosus erat :
Querebat census quidam, temptabat honores ;
Ammodo vilescat omnis inanis honor :
Gaudebat dapibus, gaudebat diuite mensa,
Nunc tenuem victum sobria cena dabit ;
Et mundi, quamuis delectent, vana cauebit,
Nam certe gustu dulcia sepe nocent.
Ille suis letus excessibus esse solebat,
Nunc lacrimis culpas diluat ipse suas : 410

Verbosus taceat, mitescat feruidus ira,
 Invidus invidie dira venena vomat ;
 Cuique prius gladius placuit, placuere rapine,
 Nunc pius et mitis pacis amator erit.
 Quisquis adulantum ventosa laude tumebat,
 Nunc hominum laudes estimet esse nichil ; 420
 Et qui rite solet aliis feritate nocere,
 Nunc eciam Iesus discat amara pati :
 Ad lites facilis fuit hic, ad iurgia preceps,
 Fortiter alterius nunc maledicta ferat.
 Que modo pugnarunt, iungunt sua rostra columbe,
 Nec prior vterius ira manebit eis.
 Sic sine peccato foret ira breuis, quod in vlo
 Nesciat interius mentis agenda furor.
 Hec veniam, fratres, conuersio vera meretur,
 Hec valet offensum pacificare deum. 430

Hic loquitur qualiter religiosi consorcia mulierum specialiter
 euitare debent.

Cap^{us}. xi. Femineum fuge colloquium, vir sancte, cauento
 Ne te confidas igne furente nimis ;
 Nam que femineo mens capta ligatur amore
 Numquam virtutum culmen habere potest.
 Harum colloquium tibi quid fert utilitatis ?
 Venisti monachus, turpis adulter abis.
 Ergo viros nisi declinaueris anguem,
 Cum minus esse putas, inficieris ea.
 Accedit mulier quecumque libidinis ignem,
 Si quis eam tangat, vritur inde statim : 440
 Si veterum libros et patrum scripta revoluas,
 Condoleas sanctos sic cecidisse viros.
 Numquid non hominem mulier de sede beata
 Expulit, et nostre mortis origo fuit ?
 Qui bonus est igitur pastor vigilet, que rapaces
 Eminus a claustris pellat vbiique lupas.
 Depositum serua : tibi que responsa valebunt,
 Pastor, qui rapide linquis ouile lupe ?
 Sepe sequens agnum lupa stat de voce retenta,
 Sepeque pastoris ore tacente perit. 450
 Ad plures lupa tendit oves, pastoreque lento

Sepius insidiis fedat ouile suis :
 Vtque rapax stimulante fame cupidusque cruoris
 Incustoditum captat ouile lupus,
 Sic vetus hic serpens, paradisum qui violauit,
 Claustra magis sancta deuiolare cupit.
 Pellant et ergo lupas pastor, ne grex in earum
 Decidat ingluuiem, quam saturare nequit :
 Pastores, vigilate lupas, seruetur ouile,
 Ne maculare gregis sanguine claustra queant. 460
 Occidunt animas, pluresque ad tartara mittunt ;
 Est monachis pestis nulla timenda magis.
 Femina, mors anime, monachis accedere numquam
 Debeat, a sacro sit procul ipsa chorο ;
 Sit procul a cetu sanctorum femina, namque,
 Et si non poterit vincere, bella mouit.
 O caueant igitur monachi, ne carneā culpa
 Virtutes anime de leuitate terat.
 Cum quid turpe facit, qui me spectante ruberet,
 Cur, spectante deo, non magis inde rubet ? 470
 Si patrie Iudex sciret sua facta, timeret ;
 Scit dominus rerum, cur nichil ergo timet ? .
 Funestum monacho cum sic male suggerit hostis,
 Et conatur eum fallere mille modis,
 Esse deum credit presentem semper vbiique,
 Nec se, si peccet, posse latere putet.
 Cuncta scit atque videt, nec quicquam preterit illum,
 Omnia sunt oculis semper aperta suis :
 Si tacet et differt et non dum crimina punit,
 Puniet, et meritis arbiter equus erit. 480
 Non igitur monachos breuis hec et vana voluptas
 Occupet, immo dei debita iura colant :
 Ad quod venerunt faciant, sua votaque soluant,
 Nec queat in claustris hostis habere locum :
 Distinctis vicibusque legant, operentur et orent,
 A studiis sacrī tempora nulla vacent :
 Vtilibus semper studeant et rebus honestis,
 Res est segnices perniciosa nimis ;
 Luxurie fomes, res incentiuā malorum,
 Spiritibus nequam preparat ipsa locum. 490
 489 fomes est res C fomes res est L

Hic tractat quasi sub compendio super hiis que in religionis professione secundum fundatorum sancções districcios obseruanda finaliter existunt.

Cap^m. xii. Hoc qui dogma vetus sanctorum claudit in antro
Cordis, et intendit ordinis acta prius,
Scit bene quod mundus est in claustro fugiendus,
Quo tamen ad presens vendicat ipse locum.
O bone claustral, mundum qui linquis, eidem.
Non redeas iterum, que docet immo fuge :
Quo caro nutritur, ne queras molle cubile,
Sit claustrum cultus, et liber ille iocus.
Cor doleat, sit larga manus, ieunia crebra,
Non incastus amor sit neque vanus honor : 500
Sit tibi ponus aqua, cibus aridus, aspera vestis,
Dorso virga, breuis sompnus, acuta quies :
Flecte genu, tunde pectus, nudus caput ora,
Quere deum, mundum sperne, relinque malum :
Hereat os terre, mens celo, lingua loquatur
De plano corde, planaque verba sonet.
Litus arat sterile deuoto qui sine corde
Verba serit precibus, sunt sine namque lucris :
Non vox set votum, non musica cordula set cor,
Non clamans set amans, cantat in aure dei. 510
Mens humilis, simplex oculus, caro munda, pium cor,
Recta fides, firma spes tibi preſet iter :
Si gustare velis modulamina dulcia celi,
Est tibi mundana mirra bibenda prius :
Ex humilique tuo te subdas corde Priori,
Ordine pacificus murmuris absque nota.
Summa quidem virtus monachi parere Priori,
Ferre iugum norme seque negare sibi :
Non vilis vestis, non te locus vltimus angat,
Sepe tui stultos ordinis ista mouent. 520
Qui sibi vilescit et se putat esse minorem,
Et timet et mundi labilis alta fugit,
Hic est et sapiens et celo proximus iste,
Non sine re monachi nomen inane gerit.
Sit tibi lex domini requies, caro victima, mundus

Heading 1 quasi om. D

Exilium, celum patria, vita deus :
Iussa molesta data fer, fac et suscipe grata,
Sic eris in domino religiosus homo :
Que tibi prepositus quamvis vilissima uadet,
Dum tamen hec licita sint, pacienter age ;
Nec tibi turpe putes, et si sit turpe placebit,
Cum tuus in Christo spiritus albus erit. 530
Vt subeunt iuuenes veteris mandata Prioris,
Et nichil econtra pondere iuris agunt,
Sic Prior in lictis iuuenes tractare modeste
Debet, et ex humili vincere corde malum.
Aspicis vt pressos ledunt iuga prima iuuenços,
Et noua velocem cingula ledit equum ;
Sic importunus iuuenum rector grauat, et dat
Causam, quo solita murmura pectus agit.
Hec tibi scripta tene mentis per claustra, que caste
Mortuus a mundo viue, professe, deo :
Paruo perpetuam mercare labore quietem,
Et reuoca fletu gaudia longa breui :
Nam si nulla tibi fuerit nunc sarcina carnis,
Tunc sine fine quies paxque perhennis erit.

Hic loquitur vterius de mulieribus, que in habitu moniali sub
sacre religionis velo professionem suscientes ordinis sui
continenciam non obseruant.

Cap^m. xiii. Errantis Monachi culpas scribendo reliqui,
Et tibi velatam religione canam.
Conuenit ordo viris, dum conuersantur honeste,
Quo procul a mundo celica regna petant ; 550
Conueniens eciam castis mulieribus extat
Soluere sub velo vota pudica deo :
Sic ligat ordo sacer monachos, ligat et moniales,
Vnde deo meritis fulget vterque suis.
Si tamen in claustris fragiles errent mulieres,
Non condigna viris culpa repugnat eis ;
Nam pes femineus nequit vt pes stare virilis,
Gressus nec firmos consolidare suos ;
Nec scola nec sensus, constancia, nullaque virtus,
Sicut habent homines, in muliere vigent : 560
Set tam materia fragili quam condicione

Femineos mores sepe mouere vides.
 Quas magis ordo putat sapientes, sepius ipsas
 Cernimus ex fatuis actibus esse graues;
 Et que scripta sciunt, magis omnibus hec laicali
 Ex indiscreto crimine sepe cadunt.
 Simpliciter textum dum sepe legunt, neque glosam
 Concernunt, vt agant scripta licere putant:
 Leccio scripture docet illas cuncta probare,
 Sic, quia cuncta legunt, cuncta probare volunt. 570
 Crescere nature sunt iura que multiplicare,
 Que deus in primo scripsit ab ore suo;
 Hecque dei scripta seruare volunt, quoque iura
 Nature solita reddere mente pia.

Nititur in vetitum mulier, set quod licet ipsa
 Hoc sine mentali murmure raro facit;
 Set magis hiis scriptis perfecte sunt moniales,
 Et pacienter agunt que sibi scripta iubent.
 Scribitur, hec grana que non capiet bona terra,
 Nil sibi fructificant, set peritura iacent: 580
 Que tamen et qualis sit terra patet monialis,
 Est ibi nam decies multiplicata Ceres:
 Et quia sic teneres subeunt pondus mulieres,
 Ocia quandoque de ratione petunt.
 Accidit in Veneris quod sumunt ergo diebus
 Carnes pro stomachi debilitate sui:
 Nam Venus ingenuis Genio committit alumpnis
 Fercula quod nimphis preparat ipse sui.
 Set gula sepe grauat nimiumque repleta tumescit,
 Dum dolet oppressa de grauitate cibi. 590
 Est nimis offa grauis, ventrem que tintcta veneno
 Toxicat, et dubium mortis inesse dabit:
 Esca set occulto que sumitur, est vbi nulla
 Lux, nocet et morbos sepe dat esse graues.

Hic loquitur qualiter ordinarii ex sua visitacione, qua mulieres
 religione velatas se dicunt corrigeri, ipsas multociens efficiunt
 deteriores.

Cap^m. xiii. Quas Venus et Genius cellas modo rite gubernant,
 Carnis non claustrum iura tenere docent:

587 Marginal note ins. SCG om. EHDLH: Nota quod Genius secundum
 Ouidium dicitur sacerdos Veneris G 593 ibi SE

Nota quod Genius
 secundum poetas Sa-
 cerdos Dei Veneris
 nuncupatus est.

Conuentus custos Genius confessor et extat,
 Et quandoque locum presulis ipse tenet:
 Sub specie iuris in claustrum visitat ipsas,
 Quas veniens thalamis, iure negante, regit. 600
 Sit licet in capa furrata, dum docet ipse,
 Nuda tamen valde iura ministrat eis:
 Iudicio Genii pro culpis sunt lapidate,
 Set neque mortalis aggrauat ictus eas.
 O virtus cleri cum sit custos animarum,
 Quanta sacerdotis gesta beata patent!
 Alter vt ipse deus, quas percutit, ipse medetur,
 Ne foris a cella sermo volare queat.
 Si pater est sanctus, sic mater sancta, set infans
 Sancctor, ex claustrum fit quia natus homo. 610
 Hoc genus incesti dampnabile grande putarem,
 Sit nisi quod mulier de leuitate cadit.
 Non temptabis eas igitur, scis namque quod vnam
 Rem poterit fragilem frangere causa leuis;
 Femina nam iuuenis nisi preseruata frequenter
 Extat eo fragilis quod genus esse docet:
 Dum nouus in viridi iuuenescit cortice ramus,
 Concuciens tenerum quelibet aura ruet.
 In quibus est claustris sapiens discrecio custos,
 Clauditur ex altis sepibus ista seges. 620
 Facta fuit fragilis de limo carnis origo,
 Sedibus e superis spiritus ille venit:
 Spiritus est promptus, infirma caro; magis ergo
 Noli cum sola solus habere locum:
 Non debet sola cum solo virgo manere,
 Famaque, non tacto corpore, crimen habet.
 Sicut et est claustris, ita sit custodia campis,
 Ludus erit licitus et labor aptus eis:
 Hiis sine labore iocis liceat monialibus vti,
 Que pudor et leges et sua iura sinunt. 630
 Velatas ideo fragilis ne subruat error,
 Sub moderante manu frena pudica iuuant.
 Quid michi, si fallat vxor de fraude maritum,
 Qui nichil vxoris scit neque facta videt?
 Set de fraude sua miror que decipit ipsum,

635 qui CE

VOX CLAMANTIS

Cuius in aspectu secula cuncta patent.
 Si sacra sint hominum, quid plus sponsalia Cristi
 Debent more sacro casta manere deo.
 Vestibus in nigris prius est induita puella,
 Crinibus abscisis, cum monialis erit ;
 Deformat corpus foris, vt sit spiritus intus
 Pulcher, et albescat plenus amore dei.
 Dum foris est nigra, fieret si nigror intra,
 Non vt amica dei, feda reiecta foret ;
 Set dum casta manet, omnis nigredo perextra
 Mentem candoris signat habere magis.

640

Hic loquitur de castitatis commendacione, que maxime in
 religione mulieribus conuenit professis.

Cap^m. xv. O quam virginitas prior omni laude resulget,
 Agnum que sequitur cuncta per arua poli ;
 Splendet et in terris deitati nupta, relinquens
 Corporis humani que genus acta docet. 650
 Fetet vt incasta, fragrat sine labe pudica,
 Ista deum retinet, illa cadauer habet.
 Centeno trina fructu cumulata perornant
 Virginis ante deum florida serta caput :
 Angelicas turmas transcendit virginis ordo,
 Quam magis in celo trina corona colit.
 Iura sequens aquile mens virginis alta cupiscens
 Celsius ante deum, teste Iohanne, volat.
 Vt rosa de spinis oriens supereminet illas,
 Sic superat reliquos virginis ille status ;
 Vt margarita placet alba magis preciosa,
 Sic placet in claustro virgo professa deo.
 Talis enim claustris monialis dignior extat
 Sanccior et meritis, dum sua vota tenet.
 Set quecumque tamen sub velo claustra requirit,
 Regula quam seruat sanctificabit eam :
 Si fuerit mulier bona, reddit eam meliorem,
 Moribus et mores addit vbique magis ;
 Si polluta prius sit quam velata, que caste
 Ammodo viuat, erit previa culpa nichil. 670

670

645 perextra SHGTL per extra CED 660 placet CEH patet SGDL

Non licet ergo viris monachas violare sacratas,
 Vulum namque sacrum signa pudica gerit.
 Alterius sponsam presumens deuiolare,
 Quam graue iudiciis perpetrat ipse scelus !
 Crede tamen grauius peccat, qui claustra resoluens
 Presumit sponsam deuiolare dei.

Postquam tractauit de illis qui in religione possessoria sui
 ordinis professionem offendunt, dicendum est iam de hiis qui
 errant in ordine fratrum mendicantium; et primo dicet de illis
 qui sub flete paupertatis vmbra terrena luca conspirantes,
 quasi tocius mundi dominium subiugarunt.

Cap^m. xvi. Dum fuit in terris, non omnes quos sibi legit
 Cristus, erant fidi, lege nouante dei :

Non tamen est equum, quod crimen preuaricantis
 Ledat eos rectam qui coluere fidem.

Sic sterilis locus est nullus, quod non sit in illo
 Mixta reprobatis vtilis herba malis ;

Nec fecundus ita locus est, quo non reprobata
 Mixta sit vtilibus herba nocua bonis :

Tam neque iustorum stat concio lata virorum,
 Est quibus iniusti mixtio nulla viri.

Sic excusando, quos sanctos approbat ordo,
 Fratres consimili iure fatetur opus :

Non volo pro paucis diffundere crimen in omnes,
 Spectetur meritis quilibet immo suis ;

Quos tamen error agit, veniens ego nuncius illis,
 Que michi vox tribuit verba loquenda fero.

Sicut pastor oves, sic segregat istud ab edis
 Quos opus a reprobis senserit ordo probos :

Que magis huius habet vocis sentencia scribam
 Hiis quos transgressos plus notat ordo reos.

Crinna que Iudas commisit ponere Petro
 Nolo, ferat proprium pondus vterque suum.

Ordinis officia fateor primi fore sancta,
 Eius et auctores primitus esse pios ;

Hos qui consequitur frater manet ille beatus,
 Qui mundum renuens querit habere deum,

Qui sibi pauperiem claustralism adoptat, et vltro
 Hanc gerit, et paciens ordinis acta subit :

680

690

700

Talis enim meritis extat laudabilis altis,
Eius nam precibus viuiscatur humus.
Set sine materia qui laruat in ordine formam,
Predicat exterius, spirat et intus opes,
Talibus iste liber profert sua verba modernis,
Vt sibi vox populi contulit illa loqui. 710
 Ordine mendico supervndat concio fratrum,
De quibus exvndans regula prima fugit:
Molles deveniunt tales, qui dura solebant
Ordinis ex voto ferre placenda deo.
Acephalum nomen sibi dant primo statuendum,
Seque vocant inopes fert quibus omnis opem:
Cristi discipulos affirmant se fore fratres,
Eius et exempli singula iura sequi:
Hoc mentita fides dicit, tamen hoc satis illis
Conuenit, vt dicunt qui sacra scripta sciunt. 720
 Sunt quasi nunc gentes nil proprietatis habentes,
Et tamen in forma pauperis omne tenent.
Gracia si fuerit aut fatum fratribus istis
Nescio, set mundus totus habundat eis.
In manibus retinent papam, qui dura relaxat
Ordinis et statuit plura licere modo;
Et si quas causas pape negat ipsa potestas,
Clam faciet licitas ordo sinister eas.
Nec rex nec princeps nec magnas talis in orbe est, 730
 Qui sua secreta non fateatur eis.

Et sic mendici dominos superant, et ab orbe
Vsurgent tacite quod negat ordo palam.
Non hos discipulos, magis immo deos fore dicam,
Mors quibus et vita dedita lucra ferunt:
Mortua namque sibi, quibus hic confessor adhesit,
Corpora, si fuerint digna, sepulta petit;
Set si corpus inops fuerit, nil vendicat ipse,
Nam sua nil pietas, sint nisi lucra, sapit.
Baptizare fidem nolunt, quia res sine lucro
Non erit in manibus culta vel acta suis. 740
 Vt sibi mercator emit omne genus specierum,
Lucra quod ex multis multa tenere queat;
Sic omnes mundi causas amplectit auarus
Frater, vt in variis gaudeat ipse lucris.

Hii sunt quos retinens mundus non horruit, immo
Diligit, hiisque statum tradidit ipse suum:
Istos conuersos set peruersos magis esse
Constat, vt ex factis nomina vera trahant.
Transtulit a vite se palmes sic pharisea,
Eius et in gustu fructus acerbus olet. 750

Hic loquitur de fratibus illis, qui per ypocrisim predicando
populi peccata publice redargentes, blandiciis tamen et
voluptatibus clanculo deseruiunt.

Cap^m. xvii. Seminat ypocrisis sermones dedita fratris,
Messim vt inde sui crescat in orbe lucri.

Horrida verba tonat, dum publica per loca dampnat
Vsum peccandi seruus vt ipse dei;
Seruus et vt Sathane, priuatis cum residere
Venerit in thalamis, glosa remittit eis;
Et quos alta prius stimulabat vox reboantis,
Postera blandicies vngt in aure leuis:
Et sic peccator aliis peccata ministrat,
Namque fouens vicium percipit inde lucrum.
Hoc bene scit frater, peccatum cum moriatur, 760
Tunc moritur lucrum tempus in omne suum.
Dic vbi ter veniet frater, nisi lucra reportet,
Est vbi sors vacua, non reddit ipse via.
De fundamentis fratrum si crimina tollas,
Sic domus alta diu corruet absque manu.

O quam prophete iam verificantur Osee
Sermones, qui sic vera locutus ait:

'In terris quedam gens surget, que populorum
Peccatum comedet et mala multa sciet.'

770
Hancque propheciam nostris venisse diebus
Cernimus, atque notam fratibus inde damus,
Ad quorum victim, fuerit quodcumque necesse,
Sors de peccatis omne ministrat eis.
Delicie tales non sunt, que fratibus escam,
Si confessores sint, aliquando negant.
Aspicis vt veniunt ad candida tecta columbe,
Nec capiet tales sordida turris aues:
Sic nisi magnatum dat curia nulla modernis
Fratribus hospicium quo remanere volunt.

Horrea formice tendunt ad inania numquam,
Nec vagus amissas frater adibit opes :
Immemores florum gestaminis anterioris,
Contempnunt spinam cum cecidere rose ;
Sic et amicicie fratres benefacta prioris
Diuinitas aspernunt, cum dare plura nequit.
Nomine sunt plures, pauci tamen ordine fratres ;
Vt dicunt aliqui, Pseudo prophetat ibi.
Est facies tunice pauper, stat cistaque diues,
Sub verbis sanctis turpia facta latent :
Sic sine pauperie pauper, sanctus sine Christo,
Eminet ille bonus, qui bonitate caret.
Ore deum clamant isti, venerantur et aurum
Corde, viam cuius vnde scire volunt.
Omnia sub pedibus demon subiecit eorum,
Ficta set ypocrisis nil retinere docet :
Sic mundana tenet qui spernit in ordine mundum,
Dum tegit hostilem vestis ouina lupum ;
Et sic ficticiis plebs incantata putabat
Sanctos exterius, quos dolus intus habet. 799
Vix est alterius fraudem qui corripit unus,
Set magis vt fallant auget vterque dolos :
Sic magis infecti morbo iactantur eodem,
Inficiuntque suis fraudibus omne solum.
Comprimat hos dominus saltem, quos nouit in isto
Tempore primeuam preuaricare fidem.
Non peto quod periant, set fracti consolidentur,
Et subeant primum quem dedit ordo statum.

Hic loquitur de fratribus illis, qui propter huius mundi famam,
et vt ipsi eciam, quasi ab ordinis sui iugo exempti, ad confes-
siones audiendum digniores efficiantur, summas in studio scole
cathedras affectant.

Cap^m. xviii. Est qui predecessor fiat velut ipse minister,
Cuius in exemplum Cristus agebat idem : 810
Set qui discipulum Cristi se dicit, ad altum
Cum venit ipse statum, non tenet inde modum.
Quamuis signa tenet mendici pauperis, ecce
799 putabit CEHD putabat SGL 807 percutit CEL 811 ad
CEHGDL et S

Frater honore suum spirat habere locum :
Appetit ipse scolis nomen sibi ferre magistri,
Quem post exemplum regula nulla ligat :
Solus habet cameram, propriat commune, que nullum
Tunc sibi claustralem computat esse parem.
Vt latram statuis claustrales ferre magistris
Debent et pedibus flectere colla suis : 820
Sic tumor et pompa latitant sub theologia,
Ducere nec duci dum fauet ordo sibi.
Tunc thalamos penetrat sublimes, curia nulla
Est cuius porta clauditur ante virum.
Aspiciens varias species variatur et ipse
Camelion, et tot signa coloris habet :
Frater ei similis, perpendens velle virorum,
Vult in consimili par sit vt ipse pari ;
Et quia sic similem sibi sentit curia fratrem,
Eius in aduentu presulis acta vacant. 830
Circuit exterius, explorat et interiora,
Non opus occultum nec locus extat ei :
Nunc medicus, nunc confessor, nunc est mediator,
Et super et subtus mittit ad omne manum.
Spiritus vt domini, sic frater spirat vbiique,
Et venit ad lectum quando maritus abest :
Sic absente viro temerarius intrat adulter
Frater, et alterius propriat acta sibi :
Sic venit ad strati capitata cubicula lecti,
Sepius et prima sorte futurus erit. 840
Sic genitus Salomon est hac que nupsit Vrie,
Dum pius intrusor occupat inde locum :
Sponsi defectus suplet deuocio fratris,
Et genus amplificans atria plena facit.
Verberat iste vepres, volucrem capit alter ; et iste
Seminat in fundum, set metet alter agrum :
In stadio currunt ambo, brauium tamen unus
Accipit iniuste longius ipse retro :
Sic intrat sponsus aliorum sepe labores,
Ac vbi non soluit in lucra, vana tamen. 850
Credit et exultat prolem genuisse maritus,
Vngula nec prolis pertinet vna sibi.
Predicat ypocrita cum sponso carmina sancta,

Vt deus ex verbo staret in ore suo :
 Cum sponsa Veneris laudes decantat, et eius
 Officium summe suplet honore dee :
 Sic opus in basso tenementum construit altum,
 Cuius egens nocte fabrica poscit opem.

O pietas fratris, que circuit et iuuat omnes,
 Et gerit alterius sic pacienter onus :
 O qui non animas tantum, set corpora nostra,
 In sudore suo sancificare venit.
 Hic est confessor domini non, set dominarum,
 Qui magis est blandus quam Titiuillus eis :
 Hic est confessor quasi fur quem furca fatetur,
 Sic quia ius nostrum de muliere rapit.
 Hic est confessor in peius qui male vertit,
 Sordida namque lauans sordidiora facit :
 Pellem pro pelle, quod habet sibi frater et omne
 Pro nostri sponsa, se dabit atque sua. 860

O condigna viro tali quis premia reddet,
 Aut deus aut demon? vltima verba ligant.
 Peccati finis fert namque stipendia mortis,
 Est dum culpa vetus plena pudore nouo :
 Horum, viuentes qui tot miracula prestant,
 In libro mortis nomina scripta manent.

Inter apes statuit natura quod esse notandum
 Sencio, quo poterit frater habere notam.
 Nam si pungat apis, pungenti culpa repugnat,
 Amplius vt stimulum non habet ipse suum ; 880
 Postque domi latebras tenet et non euolat vltra,
 Floribus vt campi mellificare queat.
 O deus, in simili forma si frater adulter
 Perderet inflatum, dum stimularet, acum,
 Amplius vt flores non colligat in muliere,
 Nec vagus a domibus pergit in orbe suis !
 Causa cessante quia tunc cessaret ab ipsis
 Effectus, quo nunc plura pericla latent.

Hic loquitur qualiter isti fratres inordinate viuentes ad
 ecclesie Cristi regimen non sunt aliquiliter necessarii.

Cap^m. xix. Vna michi mira res est, quam mente reuoluens

863 sed non D

Nescio finali qua racione foret.
 Quam prius ordo fuit fratrum, quoscumque necesse
 Congruit ecclesie fertur inesse gradus.
 Papa fuit princeps, alios qui substituebat,
 Vt plebem regerent singula iura dedit :
 Ius sibi presul habet, sub eo curatus, et ille
 Admittens curas pondera plebis agit :
 Proprietarius est presul qui proprietatem
 Curato tribuit, qua sua iura regat :
 Presulis inde loco curatus iurat, vt ipse
 Tempore iudicii que tulit acta dabit.
 Est igitur racio que vel tibi causa videtur,
 Alterius proprium quod sibi frater habet ?
 Inter aues albas vetitur consistere coruum,
 Quem notat ingratum quolibet esse pecus ;
 Inter et ecclesie ciues consistere fratrem,
 Qui negat eius onus, omnia iura vetant.

Caucius in rebus dubiis est semper agendum,
 Causa nec est mundi talis vt ipsa dei :
 Si tamen usurpet mundi quis iura, refrenant
 Legis eum vires nec variare sinunt.
 Que mea sunt propria mundo si tolleret alter,
 Taliter iniustum lex reputabit eum :
 In preiudicium partis lex non sinit equa,
 Posit vt alterius alter habere locum :
 Que bona corporea sunt alterius, nequit alter
 Tollere, ni legum condita iura neget :
 Set que sunt anime frater rapiens aliena,
 Nescio qua lege iustificabit opus.
 Si dicat, 'Papa dispensat,' tunc videamus,
 Est sibi suggestum, sponte vel illud agit.
 Papa mero motu scimus quod talia numquam
 Concessit, set ea supplicat ordo frequens :
 Papa potest falli, set qui videt interiora,
 Est hoc pro lucri scit vel amore dei.
 Lingua petit curas anime, mens postulat aurum,
 Bina sieque manu propria nostra rapit :
 Defraudans animas, talis rapit inde salutem,
 Et super hoc nostras tollere temptat opes.
 Non ita Franciscus peciit, set singula linquens

890

900

910

920

Mundi pauperiem simplicitate tulit.
Gignit humus tribulos, vbi torpet cultor in agris,
Quo minus ad messes fert sua lucra Ceres:
Pungitur ecclesia, fratrum quos sentit abortos
Inuidie stimulis lesa per omne latus.
Quilibet ergo bonus tribulos extirpet arator,
Ne pharisea sacrum polluat herba locum.

Hic loquitur qualiter isti fratres inordinate viuentes ad commune bonum viles aliquiliter non existunt.

Cap^m. xx. Fratribus vt redimant celum non est labor Ade,
Quo sibi vel reliquis vina vel arua colunt;
Corporis immo quies, quam querunt forcius, illos
Iam fouet, et mundi tedia nulla grauant: 930
Hiis neque perspicuus armorum pertinet actus,
Publica quo seruant iura vigore suo:
Sic neque milicies neque terre cultus adornat
Hos, set in orbe vagos linquit vterque status.
Nec sunt de clero fratres, quamuis sibi temptent
Vsurpare statum, quem sinit vmbra scole:
Non onus admittunt fratres cleri set honorem,
In cathedra primi quo residere petunt.
Non curant animas populi neque corpora pascunt:
Ad commune bonum quid magis ergo valent? 940
Vt neque ramosa numerabis in ilice glandes,
Tu fratrum numerum dinumerare nequis:
Immo, velut torrens vndis pluuialibus auctus,
Aut niue, que zephiro victa tepente fluit,
Ordo supercrevit habitu, set ab ordine virtus
Cessit, et in primis desinit ire viis.
Si racio fieret, famulorum poscit egestas
Tales quod sulcus posset habere suos.
Hos Daudid affirmat hominum nec inesse labore,
Nec posite legis vila flagella pati. 950
Regia iura nichil aut presulis acta valebunt,
Excessus fratrum quo moderare queant.
Que sua sunt mundus ea diligit, fratibus ergo
Attulit vt caris prospera queque suis:
Non sulcant neque nent, falcant nec in horrea ponunt;
Pascit eos mundus non tamen inde minus.

930

940

950

960

Pectora sic gaudent, nec sunt attrita dolore,
Anterior celo dum reputatur humus:
Cordis in affectum sic transit frater, et illum
Quem querit cursum complet in orbe suum. 970
Dic quid honoris habet, si filius Hectoris arma
Deserit et vecors predicit acta patris?
Aut quid et ipse valet, si frater Apostata sanctum
Clamat Franciscum, quem negat ipse sequi?
Fictis set verbis mundi sine lumine sensum
Obfuscant, que sua sic maledicta tegunt:
Sic vbi non ordo, manet error in ordinis vmbra,
Et quasi laruatus stat sacer ordo nouus.
Hiis qui Francisci seruant tamen ordine iusto
Debita mandata, debitus extat honor. 980

Hic loquitur de fratribus illis, qui incautos pueros etatis
discretionem non habentes in sui ordinis professionem at-
tractando colloquisi blandis multipliciter illaqueant.

Cap^m. xxi. Est michi suspectum de fratribus hoc, quod eorum
Reddere se primo nullus adultus adest:
Non sic Franciscum puerilis traxerat etas
Ordinis ad votum, quando recepit eum:
Sic nec eum pueri primo coluere sequaces,
Nec blande lingue fabula traxit eos.
Estimo maturos Franciscus sumpserat annos,
Dum per discreta viscera cepit opus;
Et puto quod similes sua dogmata sponte sequentes
Nec prece nec precio reddidit ordo deo. 990
Set vetus vsus abest, nam circumvencio facta
Nunc trahit infantes, qui nichil inde sciunt;
Et sic de teneri tener ordo mollia querit,
Vmbraque sola manet atque nouerca quasi.

Vt vocat ad laqueos volucrem dum fistulat auceps,
Sic trahit infantes fratris ab ore sonus:
Vt laqueatur auis laqueorum nescia fraudis,
Sic puer in fratrem fraude latente cadit:
Et cum sic poterit puerum vetus illaqueare,
Debet ob hoc frater nomen habere patris.
Sic generata dolis patrem sequitur sua proles,
Addit et ad patrios facta dolosa dolos;

1000

O

Solaque sic radix centenos inficit ex se
 Ramos, qui fructus fraudis in orbe ferunt.
 Nam puer a veteri deceptus fratre per illud
 Decipit exemplum, quando senecta venit:
 Sic post decipiunt qui primo decipiuntur,
 Et fraus de fraude multiplicata viget:
 Sic crescit numerus fratrum, fit et ordo minutus,
 Dum miser in misericordia gaudet habere pares. 1010
 'Ve, qui proselitum vobis faciat utrum, 1040
 Mundum circuitis,' dixerat ipse deus:
 Illud erat dictum phariseis, et modo possum
 Fratribus hec verba dicere lege noua.

Hic loquitur de apostazia fratrum ordinis mendicantium,
 precipue de hiis qui sub ficta hypocrisy simplicitate quasi
 vniuersorum curias magnatum subuertunt, et inestimabiles
 suis ficticiis sepissime causant errores.

Cap^m. xxii. Vt bona multa bonum fratrem quocumque sequuntur,
 Sic mala multa malum constat ubique sequi.
 Sunt etenim domini tres, quorum quilibet unius
 Seruit homo, per quem se petit ipse regi:
 Est deus, est mundus, est demon apostata, cuius
 Ordine transgressus fert sibi frater onus. 1020
 Regula namque dei non nouit eum, neque mundi
 Dat sibi milicies libera nulla statum:
 Non habet ipse deum, nec habere valet sibi mundum,
 Demonis ut proprium sic subit ipse iugum:
 Omnis enim vicii viciosus apostata motor
 Aut fautor nutrit quod videt esse malum.
 Testis erit Salomon, vir talis invitis extat,
 Et peiora sue crimina mentis agit:
 Arte vel ingenio, quo talis in orbe frequentat,
 Dicit in effectum plura timenda satis. 1030
 Non obstat paries illi, non clausa resistunt,
 Invia consistunt peruria queque sibi:
 Per mare, per terras, per totum circuit orbem;
 Ut sibi plus placeat, cernere cuncta potest.
 Nititur in fraudes, componit verba dolosa,

1012 margin. Nota C

Auget et accumulat multiplicatque dolos;
 Proponit lites, rixas accedit in iram,
 Liuores nutrit invidiamque fouet;
 Vincula disrumpit pacis, socialis amoris
 Federa perturbat, dissociatque fidem;
 Suggerit incestum, suadet violare pudorem,
 Soluere coniugium, commaculare thorum;
 Vsurpando fidem vultum mentitur honestum,
 Caucius ut fraudem palleat ipse suam.
 In dampnisi dandis promissor ubique fidelis,
 Comoda si dederit, disce subesse dolum:
 Sub grossa lana linum subtile tenetur,
 Simplicitas vultus corda dolosa tegit;
 Lingua venenato dum verba subornat in ore,
 Mellificat virus melque venena facit. 1050
 Ut sub virtutum specie lateat viciorum
 Actus, et ut turpis Simea fiat homo;
 Ipse tumens humilem mentitur sepe professum,
 Quem fugit occulto spiritus ille dei.
 Ordinis ipse sacri quicquid Franciscus honeste
 Virtutis statuit, hic viciare studet:
 Cuncta colore tamen operit, facieque decora
 Fallit, dumque latent viscera plena dolo.
 Invenies scriptum quod pennas strucio gestat
 Herodii pennis ancipitrisque pares;
 Set non tam celeri viget eius penna volatu,
 Vpocritamque notat, qui similando volat.
 Aurea facta foras similans ypocrita fingit,
 Set mala mens intus plumbea vota gerit:
 Sunt etenim multi tales qui verba colorant,
 Qui pascunt aures, aurea verba sonant,
 Verbis frondescunt, set non est fructus in actu,
 Simplicium mentes dulce loquendo mouent:
 Set templum domini tales excludit, abhorret
 Verborum phaleras, verba polita fugit. 1060
 Scripta poetarum, que sermo pictus inaurat,
 Aurea dicuntur lingua, set illa caue:
 Est simplex verbum fidei bonus unde meretur,
 Set duplex animo predictat absque deo. 1070
 1072 lingua SH: verba CEHGDLT

Despicit eloquia deus omnia, quando polita
Tecta sub eloquii melle venena fouent :
Qui bona verba serit, agit et male, turpiter errat,
Nam post verba solet accio sancta sequi.
Quos magis alta scola colit, hii sermone polito
Scandala subtili picta colore serunt.

Sepius aut lucrum vel honoris adopcio vani
Fratrum sermones dat magis esse reos :
Sub tritici specie zizannia sepe refundunt,
Dum doctrina tumens laudis amore studet :
Sepe suis meritis ascribere facta, mouere
Scisma, peritorum mens studiosa solet.
Phiton siue Magus est scismaticus, quia turbat
Verum quod credis et dubitanda mouet ;
Set contra voces incantantis sapienter
Aures obtura, ne cor adheret eis.
Non sunt hii fratres recti nec amore fideles
Ecclesie Cristi, sicut habetur ibi ;
Inperfecta magis Sinagoga notabit eorum
Doctrinam, plene que neque vera docet :
Multociens igitur aliis nocet illa superba
Copia librorum quos Sinagoga tenet.
Non sunt ecclesie recti ciues, Agar immo
Parturit ancilla, perfida mater, eos :
Ergo recedat Agar, pariat quoque Sarra fidelem
Ecclesie clerum, det Sinagoga locum.
Plantauit pietas et amor primordia fratrum,
Quos furor ad presens ambiciosus agit :
Frater adest Odium, qui federa pacis abhorret,
Cuius ab inferno cepit origo viam ;
Ille professus enim claustralvia iura resoluti,
Nec fore concordes quos sinit ipse pares.
Qui tamen in culpa frater se sentit, et illam
Non delet, tali talia verba loquor :
‘ Culpa mali laudem non debet tollere iusto,
Nam lux in tenebris fulget honore magis :
Quisque suum portabit onus, culpetur iniquis,
Laudeturque suis actibus ipse bonus.’

1081 adopcio CEHGD L adopcio S

1080

1090

1100

1110

Hic loquitur qualiter isti fratres mendicantes mundum
circuiendo amplioresque querendo delicias de loco in locum
cum ocio se transferunt: loquitur eciam de superfluis eorum
edificiis, que quasi ab huius seculi potencioribus ultra modum
delicate construuntur.

Cap^m. xxiii. Iudeos spersos fratrum dispersio signat,
Quos modo per mundum deuius error agit ;
Iste nec ille loco stabilis manet, immo vicissim
Se mouet, et varia mutat ubique loca.

Sic in circuitu nunc ambulat impius orbis,
Nec domus est in qua non petit ipse locum ;
Pauperis in specie sibi sic elemosina predas
Prebet, et ora lupi vellere laruat ouis :

Absque labore suo bona nemo meretur, et ergo
Omne solum lustrant, idque piamen habent.
Nescio si supera sibi clauerit ostia celum ;
Dat mare, dant ampnes, totaque terra viam.

Hoc lego, quod raro crescit que sepe mouetur
Planta, set ex sterili sorte frequenter eget :
Non tamen est aliqua quin regula fallit in orbe,
Mocio nam fratris crescere causat eum ;

Nam quocumque suos mouet ille per arida gressus,
Mundus eum sequitur et famulatur ei.
Vt pila facta pilis solito dum voluitur ipsis
Crescit, et ex modico magnificatur opus,

Sic, vbi se voluit frater, sibi mundus habundat,
Quicquid et ipse manu tangit adheret ei :
Federa cum mundo sua frater apostata strigit,
Sic vt in occulto sint quasi semper idem.

Multis set quedam virtutes esse videntur,
Qui nil virtutis nec bonitatis habent ;
Ista dabunt vocem, set erunt deformia mente,
Multaque dum fiunt absque salute placent.

Ad decus ecclesie deuocio seruit eorum,
Et veluti quedam signa salutis habent :
Eminet ecclesia constructa sibi super omnes,
Edificant petras sculptaque ligna fouent ;
Porticibus valvas operosis, atria, quales
Quotque putas thalamos hic laberintus habet :

1120

1130

1140

Ostia multa quidem, varie sunt mille fenestre,
Mille columpnarum marmore fulta domus.
Fabrica lata domus erit, alta decoraque muris,
Picturis variis splendet et omne decus ;
Omnis enim cella, manet in qua frater inanis,
Sculpture vario compta decore nitet :
Postibus insculpunt longum mansura per euum
Signa, quibus populi corda ligare putant.
Fingentes Cristum mundum querunt, et in eius
Conspirant laudem clamque sequntur eum :
Talis sub facie deuocio sancta figure
Fingitur, et testis fit magis inde domus :
Qui tamen omne videt, rimatur et intima cordis,
Scit quia pro mundo tale paratur opus.
Set docet exemplis historia Parisiensis,
Quod contentus homō sit breuiore domo.

Non sibi de propriis habet vila potencia regis
Illorum thalamis tecta polita magis :
Non ita fit vestis fratrum nota simplicitatis,
Quin magis in dominibus pompa notabit eos.
In fabrice studio vigilat conuentus eorum
Ecclesie, prompti corpore, mente pigrī :
Sic patet exterius fratrum deuocio sancta,
Vana set interius cordis ymago latet :
Sunt similes vno tales, qui sunt sine fructu,
In quibus impietas plurima, pauca fides.
Dic, tibi quid, frater, confert, tantas quod honestas
Cum feda mente construis ipse domos ?
Esto domus domini, quam sacris moribus orna,
Virtutem cultor religionis ama.
Omnia fine patent, tibi fingere nil valet extra,
Per quod ab interius premia nulla feres :
Si tibi laus mundi maneat furtiuā diebus,
Cum celum perdis, laus erit illa pudor.
Ordinis es, norma tibi sit, nec ab ordine cedas,
Est aliter cassum quicquid ab inde geris.

Hic loquitur qualiter, non solum in ordine fratrum mendicantium set eciam in singulis cleri gradibus, ea que virtutis esse solebant a viciis quasi generaliter subuertuntur :

1150

1160

1170

1180

dicit tamen quod secundum quasdam Burnelli constituciones
istis precipue diebus modus et regula specialius obseruantur.

Cap^o. xxiiii. Diuersat fratres tantummodo vestis eorum,

Hii tamen existunt condicione pares :
Regula nulla manet, fuerat que facta per ante,
Set nouus ordo nouum iam facit omne forum.
Sicut enim fratrum nunc ordo resoluitur, ecce
Ecclesie norma fit quasi tota noua ;
Set sacer ordo tamen remanet, quem sanxerat olim
Frater Burnellus, crescit et ille magis.

Hec decreta modo, Burnellus que statuebat,
Omnia non resero nec reserare volo ;
Set duo iam tantum que iussit in ordine dicam,
Et sunt presenti tempore iura quasi.

Mandatum primum tibi contulit, omnē iocosum,
Quicquid in orbe placet, illud habere licet :

Si vis mercari, sis mercenarius, autem
Si vis mechari, dat tibi, mechus eris :
Que magis vila caro desiderat, illa beato
Sunt fratri nostro debita iura modo.
Precipiens vltra statuit de lege secunda,
Quod nocuum carni sit procul omne tibi :
Omne quod est anime reputatur in ordine vile,
Et caro delicias debet habere suas :
Cor dissolute tuum, te nullus namque ligabit,
Quo vis vade tuas liber vbique vias.
Mollibus ornatus sic dignior ordo nouellus
Restat Burnelli, vult quia velle viri.
Nil michi Bernardus, nichil ammodo seu Benedictus
Sint, set Burnellus sit Prior ipse meus ;

1210

Quo viget en carnis requies, quo lingua precantis
A prece torpescens fit quasi tota silens :
Ordoque sic precibus dum vult succurrere nobis,
Linquo choax ranis et nichil inde magis :

Heading 5. specialiter S

1197 autem STH₃ et si CEHGDL 1198 *Text* STH₃ Mechari
cupias dat tibi GDL Mechari cupias ordine CEH 1209 seu]
uid C 1212 *Text* STH₃ Auribus alma sonat menteque vana
petit CEHGDL 1214 *Text* STH₃ Folia non fructus percipit inde
deus CEHGDL

Si veniantque michi mala tempora, credo quod isti
 De clero causam dant nimis inde grauem;
 Quis poterit namque nobis bona tempora ferre,
 Ordine claustralium dum perit ordo dei,
 Et fugit a reliquo deuocio celica clero?
 Sic fugit a nobis vnde nos salus.
 Nam quia sic medii fallunt discorditer ipsi,
 Ignavi populi stamus in orbe vagi.
 Quid sibi corpus habet in eo, nisi spiritus extet,
 Quid nisi nos cleris suplet in orbe prius?
 A planta capiti set qui discernere cleri
 Vult genus aut speciem, vix sciet inde bonum.
 Sic ubi lux, tenebre, sic mors, ubi normula vite
 Instrueret sanam gentibus ire viam.
 Ut dicunt alii de clero, sic ego dixi,
 Quo creuit reliquis error in orbe magis:
 Nam sine pastore grex est dispersus, et ecce
 Pascua peccati querit ubique noui.

1221-1232. *Text STH¹. As follows in CEHGDL,*

Nunc quia sic Cleri sors errat ab ordine Cristi,
 Vsurpat mundus que negat ipse deus.

Dum tua, Burnelle, scola sit communis in orbe,
 A planta capiti fallitur omnis ibi:
 Sed cum Gregorii scola fulsit in orbe beati,
 Vera fides viguit, cunctaque pace tulit.
 Nunc tamen est Arius nouus, est quasi Iouinianus,
 Doctor in ecclesiis scisma mouendo scolis.
 Sic ubi lux, tenebre, sic mors, ubi regula vite
 Instrueret rectam gentibus ire viam.
 Quilibet ergo bonus, sit miles siue Colonus,
 Orans pro Clero det sua vota deo.

1233 *Text STH¹. Si veniant mundi CEHGDL*

1235^{*} fulscit HG

Postquam dictum est de illis qui in statu cleri regere spiritualia deberent, dicendum est iam de his qui in statu milicie temporalia defendere et supportare tenentur.

Incipit liber Quintus.

Cap^m. i. **Q**uid sit de clero dixi, dicamque secundo
 Quomodo Militibus competit ordo vetus.
 Primo milicia magno fit honore parata;
 Est tribus ex causis ipsa statuta prius.
 Ecclesie prima debet defendere iura,
 Et commune bonum causa secunda fouet;
 Tertia pupilli ius supportabit egeni,
 Et causam vidue consolidabit ope:
 Istis namque modis lex vult quod miles in armis
 Sit semper bellum promptus adire suum.
 Sic etenim miles dudum superauerat hostes,
 Vnde sibi fama viuit in orbe noua:
 Non propter famam miles tamen arma gerebat,
 Set pro iusticia protulit acta sua.
 Ordinis ipse modum miles qui seruat eundem,
 Debet ob hoc laudes dignus habere suas;
 Set si pro laude miles debellet inani,
 Est laus iniusta, si tribuatur ita.
 Dic michi nunc aliud: quid honoris victor habebit,
 Si mulieris amor vincere possit eum?
 Nescio quid mundus michi respondebit ad istud;
 Hoc scio, quod Cristi nil sibi laudis erit.
 Si quis honore frui cupiat, sibi causet honorem,
 Gestet et illud opus, quod sibi suadet onus:
 Nil nisi stulticiam pariet sibi finis habendam,
 Cui Venus inceptam ducit ad arma viam.
 Non decet ut rutili plumbum miscebitur auro,

18 ita] ei D

Nec Venus vt validi militis acta sciatur.
 Quem laqueat mulier non laxat abire frequenter,
 Immo magis fatuo voluit amore suo :
 Qui prius est liber, facit et se sponte subactum,
 Stulcior est stulto sic reputandus homo.
 Bella quibus miles fieret captiuus, ab illis
 Expedit vt fugiat, vincere quando nequit.
 Non vada quo mergi liquet est sapientis vt intret,
 Set magis a visa morte refrenet iter.

Hic loquitur qualiter miles, qui in mulieris amorem exar-
 descens ex concupiscencia armorum se implicat exercicio, vere
 laudis honorem ob hoc nullatenus meretur. Describit eciam
 infirmitates amoris illius, cuius passiones variis adinuicem
 motibus maxime contrariantur.

Cap^m. ii. O si mutatas miles pensaret amoris
 Tam subito formas, non pateretur eas.
 Non amor vnicolor est set contrarius in se,
 Qui sine temperie temperat esse vices ;
 Detegit atque tegit, disiungit amor que reiungit,
 Letaque corda suo sepe dolore furiat.
 Est amor iniustus iudex, aduersa maritans
 Rerum naturas degenerare facit :
 Consonat Architesis in amore, sciencia nescit,
 Ira iocatur, honor sordet, habundat egens ;
 Leta dolent, reprobat laus, desperacio sperat,
 Spes metuit, prosunt noxia, lucra nocent ;
 Anxietas in amore sapit, dulcescit amarum,
 Vernat yemps, sudant frigora, morbus alit.
 Sic magis vt caueas, miles, tibi visa pericla,
 Has lege quas formas morbus amoris habet.
 Est amor egra salus, vexata quies, pius error,
 Bellica pax, vulnus dulce, suave malum,
 Anxia leticia, via deuia, lux tenebrosa,
 Asperitas mollis, plumbea massa leuis,
 Florescens et yemps et ver sine floribus arens,
 Vrticata rosa, lex sine iure vaga,

Heading 1 amore DLT

40 Qui Oui S

45 Architesis (architesis) CEHGDL Architesis S

architesis T

Flens risus, ridens fletus, modus inmoderatus,
 Hostilis socius, hostis et ipse pius,
 Instabilis constanca, velle sibique repugnans,
 Spes sibi desperans et dubitata fides,
 Albedo nigra, nigredo splendida, melque
 Acre, que fel sapidum, carcer amena ferens,
 Irrationalis racio, discrecio stulta,
 Ambiguus iudex, inscius omne putas,
 Numquam digestus cibus et semper sitibundus
 Potus, mentalis insaciata fames,
 Mors viuens, vita moriens, discordia concors,
 Garrula mens, mutus sermo, secreta febris,
 Prosperitas pauper, paupertas prospera, princeps
 Seruus, regina subdita, rex et egens,
 Ebrea sobrietas, demens clemencia, portus
 Cille, pestifera cura, salutis iter :
 Mulcebris anguis amor est, agna ferox, leo mitis,
 Ancipiter pauidus atque columba rapax,
 Infatuata scola reddens magis infatuatum
 Discipulum, cuius mens studet inde magis.

Hic describit formam mulieris speciose, ex cuius concu-
 piscencia illaqueata militum corda racionis iudicio sepissime
 destituuntur.

Cap^m. iii. Cum pauidus miratur amans candore repletam,
 In cuius facie stat rubor ille rose,
 Aurigeros crines, aures patulas mediocres,
 Planiciem frontis, que nitet alba satis,
 Impubesque genas, oculos qui solis ad instar
 Lucent, et stabilis vultus honestat eos,
 Nasum directum naresque decenter apertas;
 Labraque melliflua, fragrat et oris odor,
 Equales lacte sibi dentes candidiores,
 Et formam menti conuenientis ei ;
 Splendor et a facie dat eburnea colla nitere,
 Guttura cristalli concomitante sibi,
 Et niue candidior nitet eius pectore candor,
 Candida poma cui sunt duo fixa quasi.

73 Ebria CE

Brachia longa videt pauce crassata rotundo,
Amplexus quorum celica regna putat,
Et videt ornatos splendere manus digitosque,
Lanaque nec mollis mollior astat eis;
Cernit et insolitos humeros ad onus pueriles,
Nec patet os in eis, sic stupet inde magis:
Per latus et gracilem videt elongare staturam,
Linea nec recta reccior astat ea ;
Eius et incessus cernit peditare choreis,
Passus mensuram denotat atque suam;
Nil sibi Sirenes equantur voce canentes,
Nec vox angelica vix sonat vtque sua.

Et caput amplecti cernit gemmisque nitere,
Ac vestis pompan que magis aptat eam :
Compta venit nimium, que vult formosa videri,
Vnde stupore magis sit semiraptus amans.
Omnia membra sibi reputantur in ordine tali,
Vt deus in superis fecerat illud opus ;
Discrimen capitidis, frons libera, lactea colla,
Ora, labella, rubor, lumina clara placent;
Vertex, frons, oculi, nasus, dens, os, gena, mentum,
Colla, manus, pectus, pes sine labe nitent,
Vnam nec maculam solam natura reliquit,
Ad caput a planta transuлат iste decor:
Humanam speciem transcendit forma puelle,
Excedens hominem numinis instar habet;
Pre cunctis aliis, quas ornat gracia forme,
Felix et fenix ista fit absque pare.
Splendida vestis erit, precinctum flore caputque,
Flava verecundus cingit et ora rubor;
Forma placet niueusque color flauique capilli,
Estque micans nulla factus ab arte decor:
Vix erit aspiciens qui non capietur ab illa,
Pronus vt in terram vir sua vota ferat;
Ipsa suo vultu si quem concernat amantem,
Heret in opposita lumina fixus homo.

Qui cum tam dulcem videt ornatam que decoram
Femineam speciem, set magis angelicam,
Hanc putat esse deam, manibus sub cuius adeptam
Dat vite sortem mortis et esse suam :

100

110

120

130

Dum tam mirificam voluit sibi mente figuram,
Ipse volutus ea non reuolutus abit ;
Non capit exterius quid preter eam sibi visus,
Corque per interius pungit amoris acus.
Vt sibi stat saxum non mobile, sic stat et ipse,
Nec mouet a visu, qui velut extasis est ;
Sic oculus cordis carnis caligine cecus
Languet, et in dampnum decidit ipse suum.
Quod videt, hoc nescit, set quod videt, vritur illo ;
Sic furit a ceco cecus amore suo :
Frigidior glacie, ferauencior igne cremante,
Sic et in igne gelat, vritur inque gelu :
Sicut auis visco volutans se voluitur illo,
Sic se defendens ardet amore magis.

Sic amor omne domat, quicquid natura creauit,
Et tamen indomitus ipse per omne manet ;
Carcerat et redimit, ligat atque ligata resoluit,
Subdit et omne sibi, liber et omnibus est ;
Naturam stringit, mulcet, minuit que reformat,
Plangit et hec per eum, nec sine gaudet eo :
Militat in cunctis, nullum vix excipit eius
Regula, nam sanctos sepe dat esse reos ;
Legibus aque suis non est transire quietus
Qui valet, ipse tamen cuncta quieta gerit.
Nam quem non poterit probitas, prudencia fallit,
Nec stat vitalis tutus vt obstet eis :
Non amor in penis est par pene Talionis ;
Vulnerat omne genus, nec sibi vulnus habet :
Sic quia vulnifico fixurus pectora telo
Vibrat amor, caute longius inde fuge.

Est nichil armorum quod prelia vincit amoris,
Nec sua quis firme federa pacis habet.

Credula res amor est subito collapsa dolore,
Nec sciet inceptor quis sibi finis erit.
Non sine stat bello miles qui dicit ad infra,
'O quam me tacitum conscius vrit amor !'
Artibus innumeris mens exagitatur amantis,
Vt lapis equoreis vndique pressus aquis ;
Nobilitas sub amore iacet, que sepe resurgit,
Sepius et nescit nobile quid sit iter :

Semper in incerta varians sub ymagine mentis,
 Nunc leuat interius cordaque versat amor :
 Cecus amor fatuos cecos sic ducit amantes,
 Quod sibi quid deceat non videt ullus amans.
 Impetus in furia, dic, quid non audet amoris?
 Dum sitit amplexus, scit nichil vnde timet ;
 Non frondem siluis nec aperto gramina campo
 Mollia, nec pleno flumine cernit aquas ;
 Immo quasi cecus sic commoda, sic sibi dampna,
 Impetus vt mentem cogit amare, facit.
 Non polus aut tellus, Acheron, mare, sydus et ether,
 Possunt vi ceptis rebus obesse suis ;
 Sepe ferens ymbrem celesti nube solutum
 Frigidus in nuda sepe iacebit humo :
 Nox et ymps longeque vie seuique dolores
 Sunt ea que fatuis premia prestat amor.
 Murmura quot seruis, tot sunt in amore dolores,
 Sunt furor et pietas eius in orbe pares ;
 Sentit amans dampna, ferauens tamen astat in illis,
 Materiam pene prosequiturque sue.

O, quia per nullas amor est medicabilis herbas,
 Nec vis nec sensus effugit eius onus ;
 Nullus ab innato valet hoc evadere morbo,
 Sit nisi quod sola gracia curet eum.

O natura viri quam sit grauis, unde coactum
 Eius ad interitum cogit amare virum !

O natura viri, poterit quam tollere nemo,
 Nec tamen excusat quod facit ipsa malum !

O natura viri, duo que contraria mixta
 Continet, amborum nec licet acta sequi !

Bella pudicicie carnis mouet illa voluptas ;
 Que sibi vult corpus, spiritus illa vetat.

O natura viri, que naturatur eodem,
 Quod vitare nequit, nec licet illud agi !

O natura viri, fragilis que vim racionis
 Dirimit, et bruti crimen ad instar habet !

Nil prosunt artes, furit inmedicable vulnus ;
 Sit cum plus sapiens, vir furit inde magis ;

Sique suam vellet flamمام compescere quisquam,

180 Molia S

180

190

200

210

Artem prevideat quam prius ipse cadat.
 Dum freta mitescunt et amor dum temporat vsum,
 Tunc inter medium sit cuperanda salus.
 Vinces si fugias, vinceris sique resistas ;
 Ne leo vincaris, tu lepus ergo fuge.
 Femina nec flamas nec seuos effugit arcus ;
 Quo magis est fragilis, acrior ignis erit :
 Vtque viros mulier fallit, sic vir mulieres,
 Dum vulpinus amor verba lupina canit.
 Fallere credentem non est laudanda puellam
 Gloria, set false condicionis opus.
 Est ars nulla viri Veneris subtilior arte,
 Qua sua iura petat arte perhennat amor.

220

Hic loquitur quod, vbi in milite mulierum dominatur amoris
 voluptas, omnem in eo vere probitatis miliciam extinguit.

Cap^m. iii. Non sibi vulnus habet miles probitate timere
 Corporis, vt mundi laus sit habenda sibi,
 Vulnera sed mentis timeat, quam ceca voluptas
 Tela per ignita non medicanda ferit.

230

Vulnera corporea sanantur, set quis amore
 Languet, eum sanum non Galienus aget :
 Femineos mores teneat si miles, abibit
 Orphanus a stirpe nobilitatis honor.
 Dum sapiens miles quasi stultus et infatuatus
 Incidit in speciem, fama relinquit eum :
 Dum carnalis amor animum tenet illaqueatum,
 Sensati racio fit racionis egens :
 Dum iubar humani sensus fuscatur in umbra
 Carnis, et in carnem mens racionis abit,
 Stans hominis racio calcata per omnia carni
 Seruit, et ancille vix tenet ipsa locum.

240

Set tamen in lance non ponderat omnibus equae,
 Nec dat condigna premia cecus amor :
 Pellit ab officio sine causa sepe fideles,
 Infidosque suo sepe dat esse loco :
 Denegat ipse michi donum quandoque merenti,
 Absque nota meriti quod dabit ipse tibi :

213 temporat SGD tempat CEHL

Sicut habes varios sine lumine scire colores,
Sic amor ut cecus dat sua iura viris.
Nunc tamen omnis ei miles quasi seruit, et eius
Ad portas sortem spectat habere suam.

250

Hic loquitur de militibus illis, quorum unus propter mulieris amore, alter propter inanem mundi famam, armorum labores exercet; finis tamen utriusque absque diuine laudis merito vacuus pertransit.

Cap^m. v. Milicie pars una petit mulieris amorem,
Altera quod mundi laus sonet alta sibi.
Miles ubique nouum spirat temptatque fauorem
Munere lucrari, fama quod astet ei:
Scit tamen inde deus, quo iure cupit venerari,
Si dabit hoc mundus seu mulieris amor.
Si laudem mundi cupiat, tunc copia Cresi
Defluit, ut donis laus sonet alta suis:
Tunc aurum, vestes, gemmas et equos quasi grana
Seminat, ut laudis crescat in aure seges.

260

Set sibi femineum si miles adoptet amorem,
Carius hunc precio tunc luet ipse suo:
Quod sibi natura, sibi vel deus attulit omne,
Corpus, res, animam, tot dabit inde bona.
Cum tamen ipse sui perfecerit acta laboris,
Laus et utraque simul perfida fallat eum,
Cum nec fama loquax mundi peruenit ad aures,
Nec sibi castus amor reddit amoris opem,
Tunc deceptus ait, 'Heu, quam fortuna sinistrat!
Cum labor a longo tempore cassus abit.'

270

Tardius ipse venit, qui sic sibi plangit inepte,
Cum sibi non alias causa sit ipse dolis.
Fert mundus grauias, fert semina set grauioras;
Hic mouet, illa ruit, hic ferit, illa necat.
Cum viciisse putet miles sibi vim mulieris,
Hec et amore pio cuncta petita fauet,
Vincitur ipse magis tunc quando magis superesse
Se putat, et mulier victa revincit eum.
Aut eciam mundi famam si miles adoptet,

Numquid et ipsa breui tempore vana perit.
O, cur sic miles mundi sibi querit honores,
Cuius honor mundi stat sine laude dei,
Vulgi vaniloqui sermones miles honorem
Credit, et hos precio mortis habere cupit?
Nil tamen ipse cauet dum vincitur a muliere,
Quo reus ante deum perdit honoris opem.
Quid sibi vult igitur audacia sic animosa
Militis in vacuum, que ratione caret?
Laus canitur frustra, nisi laudis sit deus auctor;
Dedecus est et honor qui sonat absque deo.

280

Nescio quid laudis cupit aut sibi miles honoris,
Dum deus indignum scit fore laudis eum.

290

Hic loquitur interim de commendacione mulieris bone,
cuius condicionis virtus approbata omnes mundi delicias
transcedit: loquitur eciam de muliere mala, cuius cautelis
vix sapiens resistit.

Cap^m. vi. Una fuit per quam mulier deus altus ad yma

Venit, et ex eius carne fit ipse caro,
Cuius honore magis laudande sunt mulieres
Hee quibus est merito laudis agendus honor.
De muliere bona bona singula progrediuntur,
Cuius honestus amor prebet amoris opem:
Preualet argento mulier bona, preualet auro,
Condignum precii nilque valebit ei;

300

Lingua referre nequit aut scribere penna valorem
Eius, quam bonitas plena decore notat.
Nobilis in portis reuerendus vir sedet eius,
Hospiciumque suum continet omne bonum:
Vestibus ornantur famuli, quas ordine duplo
Eius in actiuis fert operosa manus:

310

Ocia nulla suos temptant discurrere sensus,
Quos muliebris ope seruat ubique pudor.
Sic laudanda bona meritis est laude perhenni,
Quam mala lingua loquax demere nulla potest.

Que tamen econtra mulier sua gesserit acta,
Non ideo reliquias polluit ipsa bonas:
Sunt nichil illa probo cum de vecorde loquamus,

Improba nec iustos scandala furis habent.
 Sit licet absurdum nomen meretricis, ab illo
 Quam pudor obseruat femina nulla capit;
 Sit licet infamis meretrix, tamen illa pudicas
 Non fedat fedo nomine feda suo.
 Hic bonus, ille malus est angelus vnum et alter,
 Nec valet vlla mali culpa nocere bono; 320
 Nec decet infamis nomen mulieris honeste
 Ledere, vel laudem tollere posse suam.
 Fetida dumque rose se miscet invtilis herba,
 Non tamen est alia quam fuit ante rosa:
 Semper erat quod erit, vbi culpa patens manifestat
 Crimina, quale vident hoc opus ora canunt.
 Quod tamen hic scribam, sit saluo semper honore
 Hiis quibus obseruat gesta pudoris honor:
 Ergo quod hic agitur, culpandas culpa figurat,
 Quo laus laudantis sit tribuenda magis. 330
 Scire malum prodest, pocius vitemus vt illud,
 Labile pre manibus et caueamus iter.

De muliere mala mala queque venire solebant,
 Est etenim pestis illa secunda viris:
 Femina dulce malum mentem, decus ipsa virile,
 Frangit, blandiciis insidiosa suis;
 Sensus, diuicias, virtutes, robora, famam
 Et pacem variis fraudibus ipsa ruit.
 Mille modis fallit, subtile milleque tendit
 Insidias, vnum vt capiatur homo. 340
 Femina talis enim gemmis radiantibus, auro,
 Vestibus, vt possit fallere, compta venit:
 Aptantur vestes, restringitur orta mammilla,
 Dilatat collum pectoris ordo suum;
 Crinibus et velis tinctis caput ornat, et eius
 Aurea cum gemmis pompa decorat opus:
 Vt magis exacuat oculos furiensis in illam,
 Anulus in digitis vnum et alter erit.
 Non erit huius opus lanam mollire trahendo,
 Set magis vt possit prendere compta viros: 350
 Se quoque dat populo mulier speciosa videndam;
 Quem trahit e multis forsitan vnum erit.

325 quod erit S et erit CEHGL

320

330

340

350

Ha quociens fictis verbis exardet amator,
 Dum temptat forme subdola lingua bone!
 In vicio decor est, mulier si verba placendi
 Non habet, vt fatuos prouocet inde viros;
 Crebraque complexis manibus suspiria mittit,
 Nec sibi pollicito pondere verba carent:
 Sepe sonat raucum quoddam, set amabile ridet,
 Blesaque fit bleso lingua coacta sono. 360

Quo non ars poterit? discit lacrimare decenter,
 Fallat vt hos vultu quos neque sermo trahit;
 Vultibus et lacrimis in falsa cadentibus ora
 Decipit et fingit vix sibi posse loqui;
 Et quociens opus est, fallax egrotat amica,
 Vultus et exterius absque dolore dolet.
 Monstra maris Sirenes erant, que voce canora
 Quaslibet admissas detenuere rates;
 Sic qui blandicias audit solito muliebres,
 Non valet a lapsu saluus abire pedem. 370

Pingere sicut habet multas manus vna figuratas,
 Que variis formis diuariabat opus,
 Sola sibi varios mulier sic auget amantes,
 Quos Venus in fatuam credere cogit opem.
 Quod natura sibi sapiens dedit, illa reformat,
 Et placet in blesis subdola lingua suis;
 Eius enim plures fatuos facundia torquet,
 Dum modo ridendo, nunc quoque fiendo placet.
 Sic fragili pingit totas in corpore partes,
 Addit et ad formam quam deus ipse dedit. 380

Huius ego crimen detestor ferre loquele,

Quam magis expertus alter ab ante tulit;

Codice nempe suo referam que carmina vates

Rettulit Ouidius, nec michi verba tenent.

Vtque suum iuuenis mulier seruare decorum
 Temptat et in variis amplificare studet,
 Sic vetus amissi speciem renouare coloris
 Spirat, et vnguentis sollicitabit opus.
 Horrida sicut yemps agit vt neque tilia florent,
 Set riget amissa spina relicta rosa,
 Sic rapit a forma veteres etas mulieres, 390

368 detinuere CE

389 hyemps C

390 Sic C

Maior et est ruga quo solet esse rubor.
 Dextra senectutis, tunc cum sit discolor etas,
 Protegit antiquas picta colore genas:
 Nam modus est tali casu quod femina vultum
 Comat, vt vnguentis splendeat ipsa magis.
 Arte supercilia mensurat, labraque rubro,
 Gracius vt placeant, mixta colore iuuat;
 Sepeque caniciem medicantibus ornat in herbis,
 Et melior primo queritur arte color; 400
 Sepeque precedit densissima crinibus empta,
 Proque suis alios efficit esse suos;
 Sicque venit rutilis humeros protecta capillis,
 Et vultum iuuenis arte requirit anus.
 Sepe crocum sumit, croceo velatur amictu,
 Quo minus ex proprio lesa colore patet.
 Quot noua terra parit flores in vere tepenti,
 Tot habet ad curas femina feda suas.
 Non omnes vna pulcras se pingere forma
 Crede, set est vsa quelibet arte sua; 410
 Ista petit roseum, niueum cupit illa decorem,
 Ista suos vultus pingit, et illa lauat;
 Altera ieunat misere minuitque cruorem,
 Et prorsus quare paleat ipsa facit;
 Nam que non pallet sibi rustica queque putatur, 420
 'Hic decet, hic color est verus amantis,' ait.
 Mille modis nostras impugnat femina mentes,
 Si tibi non videas, illico captus eris.
 Feminei sensum virus tibi tollit amoris,
 Recia cuius enim gracia sola fugit. 430
 Ista dat amplexus dulces et mollia figit
 Oscula, set tacito corde venena premit:
 Fraudibus vxorum multi perierte virorum,
 Femina nil horret, cuncta licere putat;
 Audet quicquid eam iubet imperiosa libido, 440
 Et metus et racio cedit et ipse pudor:
 Sepius esse solet quia pugnat forma pudori,
 Raro de pulcris esse pudica potest.
 Ve cui stulta comes sociali federe nupsit!
 Non erit illius absque dolore thorus: 450

409 *Paragr. here CEHT* 417 *impugnat ED impugnat SHL*

400

410

420

430

Federa seruasset, si non formosa fuisset,
 Sponsa, que multociens res docet ista patens.
 Quam Venus inspirat seruat custodia nulla,
 Ad fatuam nullus limes agendus erit:
 Cum Venus et mulier tempus que locum sibi spirant,
 Non caret effectu quod voluere duo:
 Frustratur custos mulieris, dum tamen ipsa
 Se non custodit, si foret ipse Cato.
 Tunc prius incipient turres vitare columbe, 440
 Antra fere, pecudes gramina, mergus aquas,
 Femina cum Veneris fatuum scrutetur amantem,
 Et non inveniat ad sua facta locum.
 Littora quot conchas, quot amena rosaria flores,
 Quotque soporifera grana papauer habet,
 Silua feras quot alit, quot piscibus vnda natatur,
 Et tener ex pennis aera pulsat auis,
 Non faciunt summam talem, que dicitur eque
 Ad mala que mulier insidiosa parat.
 Est mundus fallax, mulier fallacior ipso,
 Senciit infidam nam paradisus eam: 450
 Est lupus ecce latens agni sub vellere mundus,
 Quo lambit primo, fine remordet eo.
 Hoc tamen est extra, set serpentina columba
 Prouocat in thalamis dampna propinqua magis;
 Hec etenim serpens est, que per mille meandros
 Decipit, et pungens corda quieta ferit.
 Quis fortis manet aut sapiens illesus ab ipsa,
 Celicus est, set eam vincere terra nequit:
 Sampsonis vires gladius neque Dauid in ipsam 460
 Quid laudis, sensus aut Salomonis habent.
 Vt quid ad huc miles temptat superare modernus,
 Vincere quod tanti non potuere viri?
 Non est quem faciunt transacta pericula cautum,
 Set magis in laqueos quos videt ipse cadit.
 Quis vetat a magnis ad res exempla minores
 Sumere? set noster non sinit illud amor.
 Impetuoso agit pugnam gladiator, et idem
 Immemor antiqui vulneris arma capit.

450 *Text SH*: Illa quidem fatuus que ligat arte viros CEHGTL
454 in thalamis S interius CEHGDL

Hic loquitur qualiter milicia bene disposita omnibus aliis gradibus quibuscumque commune securitatis prestat emolumen-

mentum.

Cap^m. vii. O quam milicia terra consistit in ista
Audax, preclara, si bene viuat ea! 470
Si non pro mundi lucro neque laude laboret,
Indomitus nec amor ferrea corda domet,
Miles perpetue laudis tunc vincet honore,
Nomen et eternum nobilitabit eum.

Si bona milicia fuerit, deus astat in illa,
Vincat vt invicto miles in ense suo:
Si bona milicia fuerit, vigilat bona fama,
Que iacet in lecto victa sopore modo:
Si bona milicia fuerit, tum pace reviuia
Sponsus cum sponsa preparat acta sua: 480
Si bona milicia fuerit, tunc hostis ab illa
Sternitur ecclesie, crescit et ipsa fide:
Si bona milicia fuerit, taxacio dura
Que sonat in patria tunc erit absque nota:
Si bona milicia, tunc non tardabit adesse
Pax, cum qua redeunt prospera cuncta simul.

Qui bonus est miles nequit exercere pauorem,
Nec tepide mentis intima lesa gerat:
Qui bonus est miles mundi terit omne superbium,
Vincit et ex humili corde maligna ferus: 490
Qui bonus est miles pro Cristi nomine certat,
Et rem communem protegit ipse manu:
Qui bonus est miles probat et bene scit quod in orbe
De belli fine pacis origo venit;
Talis enim miles de vera laude meretur
Quicquid in hoc mundo regula laudis habet.

Hic loquitur qualiter milicie improbitas alios gradus quo-
cumque sua ledit importunitate et offendit.

Cap^m. viii. Si tamen econtra miles sua gesserit arma,
Euenient plura dampna timenda mala:
Si mala milicia, nichil est scutum, nichil hasta,

470 viuit C
paragr. CEHT

471 laborat CE

487 f. Two lines om. DL No

Nec manus in gladio fulget honore suo:
Si malus est miles, quis nos defendet in armis?

500

Si mollis fuerit, aspera nostra dabit:
Si mala milicia, quid cleris vel sibi cultor
Possunt, dum foribus guerra patebit eis?
Si mala milicia fuerit, tunc hostis agenda
Dat renouare ferus, qui solet esse pius.
Sic bonus ille bona, malus aut mala fert metuenda,
Qui gerit in manibus nostra tuenda suis.
Munda manus mire probitatis conferet ictus,
Dum polluta suis sordibus arua fugit: 510
Conscius ipse sibi, mala dum meditabitur acta,
Hesitat, et varia mente vacillat opus.
Moribus arma vigent, aliter fortuna recedit,
Stat probitas viciis proxima nulla diu.

510

Moribus ergo stude, miles, viciisque resiste
Belliger, et valide publica iura foue.
Est michi nil cunctas terrarum vincere turmas,
Dum solo vicio vincor inermis ego:
Nec magis in culpa quid obest quam miles ad arma
Tardus, et assissis promptus inesse lucris. 520
Hostibus vt perdix vicinis ancipiterque
Miles dum steterit, res sibi vilis erit.
Non valet hic dignus amplexibus esse Rachelis,
Inclita quem Martis arma beare negant:
Que speciosa viro tali concedit amorem,
Errat et ignorat quid sit amoris honor.
Lya magis feda pro coniuge congruit immo
Tali, qui minime gesta valoris habet:
Tales ad Lyam redeant et eam sibi iungant,
Lya sit hic pauidus, qui nequit esse Rachel. 530
Nullus ametur homo qui non est dignus amore,
Sit set amoris egens qui negat eius onus:
Non sine sollicito septenni temporis actu
Captus amore Iacob colla Rachelis habet.

530

Set quem causa lucri mouet vt procedat ad arma,
Miles honore suo nil probitatis habet.
Vulturis est hominum natura cadavera velle,
Vt cibus occurrat bellica castra sequi;

501 nos CEGDL non SHTH, 507 Si CE 529 Liam SL

Sunt similes qui bella volunt, qui castra sequntur,
 Qui spoliis inhiant esuriendo lucrum :
 Horret avis rapidum quia predat proxima nisum,
 Et pecus iusterum quodlibet esse lupum.
 Qui tibi delicias, miles, preponis, et arma
 Deseris, et requiem queris habere domi,
 Pauperis et spolia depredans more leonis,
 Quo maceras alios, tu tibi crassa rapis,
 Que tibi torpor agit, que deliciosa voluptas
 Suadet, avaricie pelleque luca simul :
 Suscipe sanguinei trepidancia munera belli,
 Credoque quod vicia iam tibi terga dabunt. 540
 Ante suum lucrum miles preponat honorem,
 Dans sua vota deo cunctaque vincet eo :
 Heu ! modo set video quod honor postponitur auro,
 Preferturque deo mundus et ipsa caro.
 Milicie numerus crescit, decrescit et actus ;
 Sic honor est vacuus, dum vacuatur onus.

Postquam dictum est de illis qui in statu militari rem publicam seruare debent illesam, dicendum est iam de istis qui ad cibos et potus pro generis humani sustentacione perquirendos agriculture labores subire tenentur.

Cap^m. ix. Que sit milicia iam vos audistis, et ultra
 Dicam de reliquis, regula que sit eis.
 Nam post miliciam restat status unus agrestis,
 In quo rurales grana que vina colunt. 550
 Hii sunt qui nobis magni sudore laboris
 Perquirunt victus, iussit ut ipse deus :
 Est et eis iure nostri primi patris Ade
 Regula, quam summi cepit ab ore dei.
 Nam deus inquit ei, dum corruit a Paradisi
 Floribus, in terram cepit et ire viam :
 'O transgresse, labor mundi tibi sint quoque sudor,
 In quibus vteris panibus ipse tuis.'
 Vnde dei seriem cultor si seruet eundem,
 Ac opus in cultu sic gerat ipse manu,
 Tunc pariet fructus quam fertilis ordine campus,
 Vtque temporibus stabit habunda suis.
 Nunc tamen illud opus vix querit habere colonus,

550

560

570

Set magis in viciis torpet ubique suis.
 Inter quos plebis magis errat iniqua voluntas,
 Sulcorum famulos estimo sepe reos.
 Sunt etenim tardi, sunt rari, sunt et auari,
 Ex minimo quod agunt premia plur.
 Nunc venit hic usus, petit en plus r. 580
 Tempore preterito quam peciere duo ;
 Et dudum solus plus contulit utilitatis
 Nunc tribus, vt dicunt qui bene facta sciunt.
 Sicut enim vulpis resonantibus vnde siluis
 De fouea foueam querit et intrat eam,
 Sic famulus sulci contrarius ammodo legi
 De patria patriam querit habere moram.
 Ocia magnatum cupiunt hii, nil tamen vnde
 Se nutrire queunt, ni famulentur, habent :
 Hos seruire deus naturaque disponuerunt,
 Ille vel illa tamen hos moderare nequit :
 Quisque tenens terras has plangit in ordine gentes,
 Indigit omnis eis, nec reget vllus eas. 590
 Non impune deum veteres spreuerre coloni,
 Nec mundi procerum surripere statum ;
 Set seruile deus opus imponebat eisdem,
 Quo sibi rusticitas corda superba domet :
 Mansit et ingenuis libertas salua, que seruus
 Prefuit atque sua lege subegit eos.
 Nos magis hesterna facit experientia doctos,
 Quid sibi perfidie seruus iniquus habet ;
 Ut blada cardo nocens minuit, si non minuatur, 600
 Sic grauat indomitus rusticus ipse probos.
 Vnguentem pungit pungentem rusticus vngit,
 Regula nec fallit quam vetus ordo docet :
 Vulgi cardones lex amputet ergo nocuos,
 Ne blada pungentes nobiliora terant.
 Nobile quicquid habent seu dignum, rustica proles
 Ledit in ingenuis, sit nisi lesa prius :
 Quod sit rusticitas vilis, docet actus ad extra,
 Que minus ingenuos propter honesta colit ;
 Vtque labant curue iusto sine pondere naues,
 Sic, nisi sit pressus, rusticus ipse ferus. 610
 Contulit et tribuit deus et labor omnia nobis,

Comoda sunt hominis absque labore nichil;
Rusticus ergo sua committat membra labori,
Ocia postponens, sicut oportet agi.
Horrea sicut ager sterilis sub vomere cultus
Fallit, et autumpno fert lucra nulla domum,
Sic miser ipse, tuo cum plus sit cultus amore,
Rusticus in dampnum fallit agitque tuum. 610
Nulla ferunt sponte serui seruilia iura,
Nec sibi pro lege quid bonitatis habent:
Quicquid agit paciens corpus seruile subactum,
Mens agit interius semper in omne malum.
Contra naturam fiunt miracula, vires
Nature deitas frangere sola potest:
Non est hoc hominis, aliquis quod condicionis
Seruorum generis rectificare queat.

Hic loquitur eciam de diuersis vulgi laborariis, qui sub
aliorum regimine conducti, variis debent pro bono communi
operibus subiugari.

Cap^m. x. Gens et adhuc alia cultoribus est sociata,
Que stat communis, ordo nec ullus eis: 630
Hii sunt qui cuiquam nolunt seruire per annum,
Hos vix si solo mense tenebit homo;
Set conventiculis tales conduco dietis,
Nunc hic, nunc alibi, nunc michi nuncque tibi.
Horum de mille vix est operarius ille
Qui tibi vult pacto fidus inesse suo.
Hec est gens illa que denaturat in aula,
Potibus atque cibis dum manet ipsa tuis:
Dum commensalis conductus sit tibi talis,
Omnes communes reprobat ipse cibos: 640
Omnia salsa nocent, tantum neque cocta placebunt,
Ni sibi des assum, murmurat ipse statim;
Nil sibi ceruisia tenuis neque cisera confert,
Nec rediet tibi cras, ni meliora paras.
O cur sic potum petit hic sibi deliosum,
Quem fouet ex ortu limpha petita lacu?
Pauperis ex stirpe natus, quoque pauper et ipse,
Vt dominus stomacho poscit habere suo.

637 No paragr. SD 643 ceruisia CE

Nil sibi lex posita prodest, nam regula nulla
Talibus est, nec quis prouidet inde malis: 650
Hec est gens ratione carens vt bestia, namque
Non amat hec hominem, nec putat esse deum.
Hiis, nisi iusticia fuerit terrore parata,
Succumbent domini tempore credo breui.

Quia varias rerum proprietates vsui humano necessarias
nulla de se prouincia sola parturit vniuersas, inter alios
mundi coadiutores Clulum Mercatores instituuntur, per quos
singularum bona regionum alternatim communicantur, de
quorum iam actibus scribere consequenter intendit.

Cap^m. xi. Si mea nobilibus vrbanis scripta revoluam,
Quid dicam, set eis est honor est et onus?
Est honor vt tantas teneat Ciuis sibi gasas,
Est onus vt lucra querit habere mala:
Est honor officium maioris prendere ciuem,
Est onus officii iura tenere sui: 660
Transit honor set perstat onus, quod si male gessit,
Hoc scio, quod pondus non leuiabit honor.
Vrbs stat communis de gentibus ecce duabus,
Sunt Mercatores, sunt simul artifices:
Indiget alterius sic alter habere iuuamen,
Vt sit communis sic amor inter eos;
Vincula namque duo sibi stringunt forcius vno,
Sic duo cum socii sint in amore probi.
Inter maiores dum firmus amorque minores
Permanet, vrbs gaudet et policia viget:
Crescere rem minimam gentis concordia prestat,
Maxima res discors labitur inque nichil.
Vnio dum gentis durat, durabit et vrbis
Mutua iusticia, plaudit et omnis ea;
Si sit et econtra, tunc vrbes mutua dampna
Vexant, et rara sunt magis inde lucra.
Sicut et audiui, sic possum testificari,
Vix sedet in Banco regula iusta modo:
Non sapit ille deum qui totus inheret habendum
Has pompas mundi, nomen vt addat ei.
In specie nullos statuo neque culpo, set illos
Qui propter mundum preteriere deum: 670
680

Set qui iudicium cordis vult reddere iustum,
Credo quod ante deum se dabit inde reum.
Omnes namque lucris sic tendimus omnibus horis,
Quod iam festa deo vix manet vna dies.
O quam Iudeus domini sacra sabbata seruat,
Non vendens nec emens, nec sibi lucra petens!
Lex diuina iubet, quod homo sua sabbata sacret,
Sanctificetque diem, quo colat ipse deum. 690
Cum plueret manna per desertum deus olim,
Quod fecit populus tunc modo signa notat:
Dupla die sexta tollebant facta, laborem
Ostendunt, quia lux septima nescit opus.
Omnia set licita sunt nobis lege moderna:
Respectu lucri quid sacra festa michi?
Nil modo curatur, qua forma quisque lucratur,
Dum tamen ipse suum possit habere lucrum.
Dic michi quis socius est aut tibi carus amicus,
Cuius amicicia fert tibi nulla lucra. 700
Dic modo quis ciuis manet expers fraudis in vrbe:
Si fuerit talis, vrbs mea vix scit eum.

Hic loquitur de binis Auaricie fillabus, scilicet Vsura et
Fraude, que in ciuitate orientes ad ciuium negotiaciones secre-
tum prestant obsequium. Set primo dicet de condicione Vsura,
que vrbis potencioribus sua iura specialius ministrat.

Cap^m. xii. O quam subtile Fraus ac Vsura sorores

Sunt, quibus urbani dant sua iura quasi!
Hee fuerant genite diuersis patribus vrbe,
Quas peperit sola mater Auaricia;
Est pater Vsura magnus diuesque monete,
Est Fraus et vulgo degenerata stupro:
Sic soror Vsura stat nobilior genitura,
Quam clamat natam diues habere suam. 710
Nititur hec magnas sub clave recondere summas,
Ex quibus insidias perficit ipsa suas:
Ista soror dampno solum viget ex alieno,
Alterius dampna dant sibi ferre lucra:
Est soror ista potens, aulas que struxit in vrbe,
Et tamen agrestes dissipat ipsa domos;
Ista soror ciuem ditat, set militis aurum

690

700

710

Aufert et terras vendicat ipsa suas.

Vsuram dominus defendit lege perhenni,
Vnde satis clare scripta legenda patent. 720
Nonne foret sapiens qui posset ponere glosam
Hunc contra textum, quem dedit ipse deus?
Hoc scit mercator instanti tempore ciuis,
Qui probat vsuram posse licere suam:
Omnia nuda patent, quapropter vestibus ipsam
Induit, vt ficto fallat opera dolo.
Sic latet Vsura facies depicta colore
Fraudis, vt hinc extra pulcra pateret ea;
Si tamen inde genus sic vertat fraude dolosus,
Vsura species stat velut ipsa prius. 730
Nonne deum fallit cautelis institor ipse,
Talia dum scelera celat in arte sua?
Est deus aut cecus, qui singula cernit vbique?
Vsura tunicam cernit et odit eam.

Postquam dixit de potentia Vsura, iam de Fraudis subtilitate
dicere intendit, que de communi consilio quasi omnibus et
singulis in emendo et vendendo ea que sunt agenda procurat
et subtiliter disponit.

Cap^m. xiii. Ista soror grauia parat, altera set grauiora,

Nam stat communis omnibus ipsa locis:
Quo tamen Vsura pergit Fraus vadit et illa,
Vna viam querit, altera complet opus.

Vrbibus Vsura tantum manet hiis sociata
Quorum thesaurus nescit habere pares; 740
Set Fraus ciuiles perstat communis ad omnes,
Consulit et cunctis viribus ipsa suis:
Clam sua facta facit, nam quem plus decipit ipsa,
Ipse prius sentit quam videt inde malum.

Stans foris ante fores proclamat Fraus iuuenilis
Merces diuersas, quicquid habere velis.
Quot celi stelle, tot dicet nomina rerum,
Huius et istius, et trahit atque vocat:
Quos nequit ex verbis, tractu compellit inire,
'Hic,' ait, 'est quod vos queritis, ecce veni.' 750
Sic apprenticius plebem clamore reducit,
Ad secreta dolii quando magister adest:

740

750

Dum Fraus namque vetus componit verba dolosa,
Incircumventus nullus abire potest:
Si sapiens intrat, Fraus est sapiencior illo,
Et si stultus init, stulcior inde redit.

Ad precium duplum Fraus ponit singula, dicens
Sic, 'Ita Parisius Flandria siue dedit.'
Quod minus est in re suplent iurancia verba,
Propter denarium vulnerat ipsa deum; 760
Nam nichil in Cristo membrorum tunc remanebit,
Dum iuramentis Fraus sua lucra petit.
Hac set in arte tamen nos sepe domos fore plenas
Cernimus, et proprium nil domus ipsa tenet:
Sicque per ypocrismi ciuis perquirit honorem,
Quo genuflexa procul plebs valedicat ei:
Accidit vnde sibi quasi furtim maior vt ipse
Astat in vrbe sua, qui minor omnibus est.
Set cum tempus erit quo singula nuda patebunt,
Dedecus euerit quod decus ante fuit; 770
Nam cum quisque suum repetit, tunc coruus amictus
Alterius pennis nudus vt ante volat.
Fraus et ab vrbe venit campestres querere lanas,
Ex quibus in stapula post parat acta sua.
Numquid vina petit Fraus que Vasconia gignit?
Hoc dicunt populi rite nocere sibi:
Fraus manet in doleo, trahit et vult vendere vinum,
Sepeque de veteri conficit ipsa nouum.
Fraus eciam pannos vendet, quos lumine fusco
Cernere te faciet, tu magis inde caue; 780
Discernat tactus, vbi fallunt lumina visus,
Ne te pannificus fraudet in arte dolus.
Absit enim species quis vendat Fraude negante,
Dumque suis mixtis dat veterata nouis;
Decimat in lance sibi, partem sepeque sextam
Pondere subtili Fraus capit ipsa sibi.

Hic loquitur vltierius quomodo Fraus singula artifia necnon
et vrbis victualia vblcunque sua subtili disposicione gubernat.

Cap^m. xiii. Nolunt artifices Fraudis deponere leges,

775 gignit CEDL giagnit SH 785 sibi SEHH^s fraus CGDL
786 fraus capit SEHH^s surripit CGDL

Cuius in arbitrio dant sua facta modo:
Fabricat ista ciphos, argentum purgat et aurum,
Set capit ex puro purius ipsa tuo; 790
Conficit ex vitris gemmas oculo preciosas,
Nomen et addit eis, fallat vt inde magis.
Si quid habes panni, de quo tibi vis fore vestem,
Fraus tibi scindit eam, pars manet vna sibi;
Quamuis nil sit opus vestis mensuraque fallit,
Plus capit ex opere quam valet omne tibi.
Set quid pellicibus albis, nigris, quoque grisis
Dicam? numquid eis Fraus iuuat ipsa prius?
Fraus prima facie trahit in longum satis apte,
Quod trahit hoc hodie, cras caret inde pede:
Fraus quoque debilia vendens care facit arma,
Contractos et equos Fraus facit armigeros:
Fluxum candele Fraus de pinguedine facte
Prouocat, hinc fluxus sit sibi perpetuus:
Fraus eciam sellas, ocreas facit et sotulares;
Omnem nunc artem Fraus facit esse suam.

Fraus etenim carnes populo vendit, quoque pisces,
Condolet hinc gustus dum sapit inde prius:
Fraus facit ob panes pistores scandere clatas,
Furca tamen furis iustior esset eis: 800
Ceruisse domina Fraus est, testante lagena,
Qua vix per seriem scit Thethis esse Cerem:
Fraus cocus et cocta componit et ordinat assa,
Inque cibos horum conuocat ipsa forum:
Vt furit absque modo clamor constanter abisso,
Sic Fraus assa sibi clamat in aure fori.
Hospes in hospiciis Fraus gaudet de peregrinis,
Set peregrinus eam plangit habere malam:
Sincopat in modio, decaudat fraus minundo
Fena per apocapen, lucra colendo tamen. 810

Dum curat minima, Fraus pullos vendit et oua,
Est nichil inque foro, quin regit ipsa dolo:
Fraus procurator communis in vrbe notatur;
Dum causas iungit, semper id vna luit.

789 ista SG ipsa CEHD ipse L 799 Stans C 805 eciam CEHDLT
etenim S sellas] celas CEL 810 ff. a EDLT 81a Thethis
(thethis) SCEHGT Thetis D tethis L

Vt numeranda maris consistunt litora nobis,
Sunt infiniti fraudis in ore doli.
Fraus facit et facta vendit, quoque iudicat acta,
Ambitione sua statque per omne rea.
Non commune bonum Fraus cum sit rector agendum
Auget, set proprium spectat habere lucrum. 830
Sic patet in fine, nunc transiit exul ab vrbe
Ipsa Fides sterilis, Fraus parit atque magis.
Hoc ego non dico, quod Fraus dominatur in omnes,
Iusto nam ciui Fraus nichil addit ibi.

Hic loquitur de ciue illo maliuolo et impetuoso, qui maioris ministerium sibi adoptans in conciues suam accedit maliciam, quo magis sanum ciuitatis regimen sua importunitate perturbat et extinguit.

Cap^m. xv. Turpiter errat auis, proprium que stercore nidum,
Cuius erit custos, contaminare studet:
Dedecus est ciui sociis qui tollit honorem,
Quo campestris habet ciue priora loca.
Est inter populum furiosus vbique timendus,
Saltem dum gladium possidet ipse manu; 840
Est set in vrbe magis hominis metuenda potestas,
Iudicis officio dum furit ipse suo.
Vtpote sola domum poterit sintilla cremare,
Sic malus indigena solus in vrbe grauat.
Mutatis subito rebus natura gemescit,
Et magis insolita de nouitate dolet,
Sorte repentina dum pauper in vrbe leuatur,
Et licet indignus culmen honoris habet.
Vrbis nobilitas poterit tunc dampna timere,
Cum noua stultorum gloria laudat eum. 850
Arridet stultus stulto, vir iniquus iniquo,
Gaudet sensatus cum sapiente viro.
Asperius nichil est humili cum surgit in altum,
Saltem cum serius nascitur ipse prius;
Mens antiqua manet serui de condicione,
Det quamvis summum sors sibi ferre statum.
Si cursoris equi sella sit Asellus opertus,

Cap. xv. Heading 1 ciue illo S illo ciue CEHGDLT a ministerium] officium CE

Non tamen in cursu fit magis inde celer:
Indoctus que rudis nec homo mutatur honore,
Rusticitate sua quin magis asper erit. 860
Coruum perfidie dampnant animalia queque,
Sic est de ciue qui stat in vrbe male:
Quamvis sors fallax hominem sine moribus vrbe
Preponat, quis sit vltima fama dabit.
Vir malus est hominum multorum sepe flagellum,
Quem deus ad tempus plura mouere sinit:
Fine tamen proprio capiti mala cuncta refundit,
Que foris in populo fecerat ipse prius.
Mille cados olei premit vncia sola veneni,
Solus millenos vir malus atque bonos: 870
Ignitus carbo plures producit in ignem,
Sic mala multa facit, quo manet ipse, malus:
Talis enim summam fuerit cum scansus in arcem,
Spirat et imperio subdere cuncta suo,
Vertitur ecce rota, prius et qui celsior vrbis
Exitit, inferior omnibus ipse cadit.
Fraus florere potest, set fructificare nequibit,
Nec sua radices plantula firmat humo:
Res probat in fine, cum quis tumefactus auare
Se dabit in precium, non fore grande lucrum. 880
Quisque valet speculo satis ista videre moderno,
Vix tamen est sapiens, qui cauet acta videns.

Hic loquitur eciam de ciue illo, qui linguosus et Susurro inter conciues seminator discordiarum existit. Loquitur de variis eciam periculis occasione lingue male contingentibus.

Cap^m. xvi. Dum Susurro manet et vir linguosus in vrbe,
Plebis in obprobrium scandala plura mouet;
Nam linguosus homo reliquos velut altera pestis
Ledit, et vt turbo sepe repente nocet.
Set quia lingua mala mundo scelus omne ministrat,
Que sibi sunt vires dicere tendo graues.
Lingua mouet lites, lis prelia, prelia plebem,
Plebs gladios, gladii scismata, scisma necem; 890

876 cadet CE 881 Quis valet in speculo D Quisqua valet speculo L
Cap. xvi. Heading 2 f, eciam de variis EDL

Q

Exirpat regnis, dat flammis, depopulatur
 Lingua duces, lingua predia, lingua domos :
 Lingua maritorum nexus dissoluet, et vnum
 Quod deus instituit, efficit esse duo ;
 Lite fugantque viros nupte, nuptasque mariti,
 Inque malum dicunt res sibi semper agi.
 Corporis exigua pars nulli parcere nouit,
 Fallax et facilis fasque nephisque loqui :
 Fermentum modicum totum corrumpit aceruum ;
 Exacuens mentem singula membra mouet. 900
 Non nichil est quod eam duplex custodia seruat,
 Ne fluat in verbis impetuosa suis :
 Dentibus obstruxit prudens natura palatum,
 Vt claustro residens clausa silere queat ;
 Talis eam custos stimulis castigat acutis,
 Vt nichil abrupte queque licenter agat :
 Exterius datur alter ei custos labiorum,
 Vt duplex duplii ianua claudat iter :
 Osseus ordo prior excessus corrigit, alter
 Carneus et madidus micia verba facit. 910
 Hos tamen erumpit aditus quandoque latenter,
 Et ruit in verba que reuocare nequit :
 Impetus huius habet rerum discrimina mille,
 Que velut ignis edax prospera queque vorant.

Dicere qui poterit quot in ethere lumina lucent,
 Paruaque quot siccus corpora puluis habet,
 Vix satis est sapiens homo talis vt omnia dicat
 Semina pestifera que mala lingua serit.

Nemo referre potest mala que linguosus in vrbe
 Parturit, et duplo prouocat ore dolos. 920
 Res mala lingua loquax, res peior, pessima res est,
 Que quamuis careat ossibus, ossa terit :
 Non locus est pacis vbi regnat lingua loquacis ;
 Qui nec habet pacem, non habet ipse deum :
 Qui sine pace dei discordat, habere salutem
 Non valet, est et opus absque salute nichil :
 Omne quod adquirit sibi pax, discordia tollit,
 Quicquid et ista leuans erigit, illa ruit.

Est vbi regnat amor deus; est vbi nullus amator,
 Dirigat vt causas nescit adesse deus : 930

Est grauior plumbi massa sic garrula lingua,
 Pondere sub cuius corruit vrbis honor.
 Qui mala vult vrbis concius nesciat vrbem,
 Ianua fallaci nec sit aperta viro :
 Ore licet duplex talis canat vrbis honorem,
 Corde silens tacite semina fraudis habet :
 Sicut aqua piscis gaudet, letatur inquis
 Dum videt alterius dampna patere magis.
 Fontem dum solus communem toxicat vnum,
 Plebs perit et pestis magna repente venit :
 Ciuis qui ciues conturbat et opprimit omnes,
 Exulis aut mortis sit sibi pena prius.
 Dum dens solus olet, totum caput inficit ille,
 Si foris extrahitur, cessat ab inde dolor ;
 Sic prius extractus sit ciuis in vrbe malignus,
 Quam civilis honor perdat in vrbe locum.
 Expedit vnum enim moriatur, ne quasi tota
 Gens pereat lesa de grauitate sua.

Vrbis rector, age quod sit concordia, que dat
 Pacem: pax etenim prospера cuncta parit.

Non sonet in populis sermo tuus impetuostus ;
 Dulcibus est verbis vrbis alendus amor.
 Obsequium tigresque domat tumidosque leones,
 Rustica paulatim taurus aratra subit ;
 Sic sibi quod nequeunt, valet hoc prudencia, vires,
 Comptaque de facili pondere complet opus.
 Non satis vna tenet agitatas anchora puppes,
 Nec satis est liquidis vnicus hamus aquis ;
 Sola nec vna viri persona potest sine plebis
 Auxilio cunctas vrbis habere vices.

Principiis obsta, si tu potes, aut sapienter.
 Discute paulatim quod nequis ipse simul :
 Tempora dum veteris queris temeraria dampni,
 Sepe magis morbum quam medicamen habent :
 Curando fieri quedam maiora videmus
 Vulnera, que melius non tetigisse fuit.
 Flumina magna vides paruis de fontibus orta,
 Flumina collectis multiplicantur aquis :

949 Ordinary paragraph CEDL 955 sibi CEHDLHs vbi S

Sepius, in primo quod erat sanabile vulnus,
Dilatum longo tempore nescit opem.
Ad vomitum scelus est reuocabile fitque nouatum
Vulnus, et infirmis causa pusilla nocet:
Vulnus in antiquum rediet mala sana cicatrix;
Defectus cure causa prioris erat.

Vt vix extinctum cinerem sub sulphure tangas,
Viuit, et ex minimo maximus ignis erit;
Sic indiscrete veterem qui corripit iram,
Comouet ex facili ferre quod ipse nequit:
Quilibet extinctos iniuria suscitat ignes,
Quo prius oblita forcitus ira reddit.

Ira subit, deforme malum, lucisque cupido;
Est vbi nullus amor, vrbs habet omne nephas:
Crimina dicuntur, resonat clamoribus ether,
Inuocat iratum sic sibi quisque deum.
Pertinet ad ciues rabidos compescere mores
Candida pax homines, trux decet ira feras:
Nulla fides, vbi nullus amor, set amore remoto
Ignorat proprium quisquis in vrbe gradum.
Dum diuisa manet plebs a sapientibus vrbis,
Consilium multe calliditatis init:

Ignis, aqua dominans duo sunt pietate carentes,
Vulgus et indomitus peior habetur eis.

Nuper iusticia pax et concordia ciues
Rebus et in causis rectificare solet.
Nunc vbi sunt? dicas. Non hic. Cur tunc abierunt?
Liuor et argenti lamina causa fuit.
Quod dolus adquirit, lucrum durabile non est,
Invidie nec amor durat in vrbe comes.
Ablue preteriti periuria temporis, oro;
Ablue preterita perfida verba die.
Sic plus quam credi poterit fortuna reviuet,
Surget et in precium quod modo vile cadit.
Assolet interdum fieri placabile numen,
Nube solet pulsa clarior esse dies:
Pax datur in terris quibus extat honesta voluntas;
Vir malus omne quod est pacis ab vrbe fugat.
Roma caput mundi fuit omni tempore, saltem

975 *No paragr. CEHTD*

970

980

990

1000

Dum communis amor rexit in vrbe forum:
Set diuisa statim viduata recessit honore,
Eius et imperium perdidit omne decus.
Non honor Athenis decessit, dummodo ciues
Vnanimes odium non habuere simul;
Postea quando grauis vrbe diuisio spersit,
Ammodo de veteri sumpsit honore nichil.
Sors tamen illa deo mediante recedat ab vrbe
Nostra, que magno fulsit honore diu.

1010

Ex quo de errore in singulis temporalium gradibus existente tractatum est, iam quia vnumquemque sub legis iusticia gubernari oportet, tractare vterius intendit de illis qui iuris ministri dicuntur, quamvis tamen ipsi omnem suis cautelis iusticiam confundunt, et propter mundi lucrum multipliciter eneruant.

Incipit liber Sextus.

Cap^m. i. **S**unt modo quam plures nomen de lege gerentes,
Qui tamen in parte nomen habent sine re:
Hui sine lege dei sub lege viri quasi fictum
Vsurgent nomen legis habere suum;
Est quibus omnis amor extraneus, omnis et error
Proximus et proprii causa creata lucri:
Hic labor, hoc opus est primo cum munere iungi,
Est sine quo lingue muta loqua sue.
Qui tamen ad veras leges vacat, et sine fraude
Iusticiam querule proximitatis agit,
Vt psalmista canit, est vir magis ille beatus;
Paucos set tales iam sibi tempus habet.
Aurea pugna nouo sic conterit vlcere leges,
Lesa quod vterius iura salute carent.
Hoc ego quod plebis vox clamat clamo, nec villos,
Sint nisi quos crimen denotat, ipse noto.
Talibus in specie, quos deuiait error auare,
Non aliis ideo scripta sequenter ago.
Legis sub clamide latet ars, qua lex sine iure
Vertit vt est velle quolibet acta die;
Causidici talem poterunt dum plectere legem,
Transformant verbis iura creata suis.
Iuris in effigie sunt omnia picta colore,
Quo magis occultum fert sibi lucra forum:
Iusta vel iniusta non curant quomodo causa

Stat, set vt illa lucris fertilis astet eis.
Nunc cum causidicus aduerse ius fore partis
Scit, tunc cautelas prouocat ipse suas:
Quod nequit ex lege, cautelis derogat ipse,
Cum nequeat causam vincere, vexat eam:
Si tamen hanc vincat, mos exigit et modo prestat
Legis sensati nomen habere sibi:
Nam nisi cautelis laruare sciat sibi leges,
Tunc dicent alii, deficit actus ei.
Sic actus falsi leges confundere veri
Preualet, et lucro plus capit inde suo;
Sic cum causidicus fuerit sapiencior, auctis
Legem cautelis opprimit ipse suis.
Sic lex pro forma patet, et cautela perita
Stat pro materia iuraque vincit ea.
Hec est linguosa gens, que vult litigiosa
In falsis causis vociferare magis.
Vult sibi causidicus seruare modum meretricis,
Que nisi sit donum nescit amare virum,
Est et, vt ipse vides, semper venalis ad omnes;
Aurum si sibi des, corpus habere potes.
Cuius enim generis aut ordinis est homo nusquam
Curat, dum poterit quicquid habere lucri.
Vt via communis astat Rome peregrinis,
Qui veniunt sanctis reddere vota locis;
Est ita vulgaris domibus via causidicorum,
Qua graditur populus donaque reddit eis.
Nam velut antiqui iustos strinxere tiranni,
Qui renuerunt diis reddere thura suis,
Sic modo causidicus vicinos stringit avarus,
Qui sunt inviti ferre tributa sibi,
Sic video populos modo sacrificafe coactos
Causidico legis, ne male fiat eis.
Diuerse gentes, vt sufficit ipsa facultas,
Munera diuersa dant sibi sepe noua:
Conuenit immo tibi, donum si deficit auri,
Munus vt argenti des reuerenter ei;
Si tamen argentum non est, exennia prebe
Illi, quem saciat est quod in orbe nichil.

31 mos SCEHGT mox DLHs

30

40

50

60

Singula que terra bona gignit, et ether in alto,
Seu mare, de dono querit habere tuo;
Ex omni parte, sic post, sic congregat ante;
Dum tamen omne capit, nil tibi retro dabit.
Non vno volucres laqueo set pluribus auceps
Carpit, nec pisces vnicus hamus habet;
Lex in non leges iam transmutata nec vnum
Rethes, set in lucrum recia mille parat.
Vndique casus adest legis, quo pendulus hamus
Aurea de burse gurgite dona capit;
Non via talis erit qua non scrutabitur auri
Arte vel ingenio, vi vel amore, lucrum.
Contextat tenues subtilis aranea telas,
Possit vt hiis predas illaqueare suas;
Si veniat musca volutans, cadit ipsa retenta,
Nisus et a medio transiet absque malo;
Quod volat ex alis euadet fortibus illud,
Voluit et laqueis debile quicquid adest.
Causidicus cupidus pauidos de lege propinquos
Voluit et illaqueat condicione pari;
Ignatum populum, cuius defensio nulla est,
Opprimit, et legis rethe coartat eos;
Plebs cadit in telas simplex, hominique potenti
Recia causidici dant lacerata viam.

Vespere pronus humi vespertilio volat, vt
Pennis pro pedibus in gradiendo solet;
Sic cuius mentem terrena sciencia ditem
Efficit, huic volucri se facit esse parem;
Iste velut circa terram volutat, quia veri
Luminis ignarus terrea sola rapit.
Dicitur in noctem subtilis noctua visu
Esse, nitente die lucē minore frui;
Hanc imitantur auem legis qui sunt sapientes,
Vt mala noctis agant, nec bona lucis habent.
Sepius illa tamen quam preda rapit sibi mors est,
Dum latet occulto finis habendus ei:
Improuisus adest cum pullos tollere miluus,
Esurit, et fraude fraus sua sepe cadit:

65 gignit CEDL gingnit SHG gingit T
79 volitans CE 93 volitat CE

70

80

90

100

72 rethia CE

Sic capiens capit, sic qui vorat ipse voratur,
Infelix hamum quo capietur amat.

Hic loquitur de causidicis et aduocatis illis, qui vicinum
populum depredantes, ex bonisque alienis ditati, largissimas
sibi possessiones adquirunt: de quibus tamen, vt dicitur, vix
gaudet tercarius heres.

Cap^{ta}. ii. Plusquam Cilla maris rapiens sibi deuorat vndas,
Causidicus patriam deuorat ipse suam;
Plus cane qui siluis predam sibi querit in amplis,
Causidicus lucrum querit habere suum;
Nec canis hic predam plus stringit, dum capit illam
Dentibus, vt carnes deuoret ipse suas,
Quin plus causidicus stringit de lege clientem,
Munus vt argenti possit habere sibi.
Vt solet ancipiter trepidas vrgere columbas,
Causidicus gentes vrget et angit eas:
Vt tremit agna pauens, nouiter que saucia canis
Est euasa lupis, nec bene tuta manens;
Vtque columba suo madefactis sanguine plumis
Horret adhuc vngues, heserat illa quibus;
Sic pauet a laqueis oppressus causidicorum
Pauper, et inde sui clamat in aure dei.

Vulnera plebeia medicus desiderat, vt sic
Det dolor alterius munera leta sibi;
Gentes causidicus discordes optat, vt ipse
Prospera de lite gentis habere queat.
Ex hoc quod perdis lucratur, sique lucreris,
Hinc tecum partem querit habere suam;
Cum pl...am dextram teneat, tunc ipse sinistram
Tendit, que sibimet insaciata manet.

Sic quacumque via furtit Eurus, semper in aura
Velum tranquillum gestat ad omne fretum:
Sic viget ex auro loculus pregnans alieno;
Quod male concepit, peius id ipse parit:
Nam modus est legis cito cum locuplex fore nummis
Possit, tunc terras appetit ipse nouas.

Vt constricta fame lupa more suo catulorum
Querit habere suos lata per arua cibos,
Sic cum causidico sit proles aucta, per omnes

110

120

130

Machinat insidias, de quibus auget opes.
 O sine tunc requie conspirans nocte dieque,
 Vt capiat lucrum, temptat vbique forum ;
 Tuncque domos domibus, campos iungit quoque campis,
 Vellet vt hiis per se solus in orbe fore :
 Sic rapiens oua fouet vt perdix aliena,
 Set de fine patet quid sibi iuris habet.
 Que pater in studio quesuit vix sibi magno,
 Dissipat in vicio filius ipse cito ;
 Et que fraude sua sapiens mundi cumulata
 Strinxerat, hec stultus laxat abire vagus ;
 Sic male quesitis non gaudet tercius heres,
 Set rapit hec mundus que dedit ipse prius.
 Causidico fore ve patet ex dictis Ysaie,
 Namque domum vidue dissipat ille male.

Hic loquitur de causidicis et aduocatis illis, qui quanto plures sunt in numero, tanto magis luca sicientes patriam deuorant, et iuris colore subtilia plectentes, suis cautelis innocentem populum formidantem illaqueant.

Cap^m. iii. Cum fuerint tribuli summe maioris aborti,
 Sunt blada depresso facta minora solo ;
 Cum magis atque suis Sus fuderit vbera natis,
 Est macies lateris macrior acta Suis.
 Cum magis et numerum lex auget causidicorum,
 Tum gemit in patriis plebs spoliata magis.
 Vt blada que mersa torrens supervndat aquarum,
 Vellit et extirpat quicquid adheret humo,
 Concio lege rapax sic multiplicata virorum
 Lucra, superficies que tenet orbis, habet.
 Non valet esse salus, medicus dum vulnerat egros,
 Addit et ad dampnum dampna furore suo ;
 Sic, vbi causidici causas sine iure revoluunt,
 Esse quies longo tempore certa nequit.
 Sunt ita continua presentibus ista diebus,
 Vix vt ab hoc morbo sanus abibit homo.
 Aurea dum leges lanx ponderat, equa statera
 Non erit, hoc et opus iura moderna docent.
 Scribitur, os auri Crisostomus ipse gerebat ;

149 non] vix CD

170

Sub sermone latens illa figura fuit :
 Aurea de facto gestant tamen ora potentes
 Causidici, qui nunc aurea cuncta vorant.
 Pondere subtili species venduntur, vt emptor
 Circumventus eo nesciat inde forum ;
 Est tamen ecce modo pondus subtilius, in quo
 Venduntur verba legis in arte sua.
 Quicquid agant leges, hominis lex interioris
 Gestat ab interius iudicis illud onus :
 Omnia dat gratis dominus, set legis auarus
 Sermonem nullum dat nisi vendat eum.
 Si bene promittant, totidem promittere verbis
 Ius foret, et pactis pacta referre suis :
 Hii tamen ante manum, quicquid de fine sequetur,
 Sepius inmerito premia ferre petunt.
 Sic magis obliqua lanx nescit pondera iuris,
 Quo ruit in tortam, que foret equa, viam ;
 Sic solet iniustum fieri sub nomine iusto,
 Quod foret et fidum, fit magis absque fide :
 Causidici legem proponunt esse beatam,
 Concludunt set eam facta per ipsa malam.
 De ligno quicquid rectum si vir sibi sumat,
 Ad visum claris subdet et illud aquis,
 Apparet tortum sibi quod fuit ordine rectum ;
 Sic ad propositum lex agit ecce meum.
 Nam si causidico modo dicam ius manifestum,
 Quod michi iusticia nulla negare potest,
 Ipse suum lucrum conspirans quicquid ad ipsum
 Dixero subuertet, multa pericla mouens ;
 Conficit ex mellis dulcedine fellis amarum,
 Vrtice similem fingit et esse rosam,
 Et velut ex flatu Basiliscus toxicat oris
 Aera, quo peste proxima vita perit,
 Est quod plus sanum, sic ius vir iuris ad aures
 Inficit ex verbis, plenus in ore dolis :
 Et sic vulpis ouem terret predoque viantem
 Predat, sicque dolus cogit abire fidem.
 Micius est lapsu digitum supponere mento,
 Mergere quam liquidis ora natantis aquis :

187 Set C 194 subdet SH subdat CEGDL

180

190

200

210

Miror eo, causas inopum qui lege tueri
Deberet, cicius aggrauat auctor opus.
Somnus perturbant quam sepe viros sine causa,
Non res set somnus visa figura rei;
Sic tibi causidicus fingens quam sepe pericia,
Est ubi plus rectum, diuariabit iter:
Mente tibi loquitur dubia, nam nemo dolose
Mentis securis vocibus esse potest;
Questio precedit, rationem fallere pergit,
De quo non dubitat te dubitare facit:
Incutit ipse tibi ficta sic lege timorem,
Vertat ut in brutum de ratione virum:
Ex oculis primum dabis, ut retinere secundum
Possis, dum causam lex regit ipsa tuam.
Causidici nubes sunt ethera qui tenebrescunt,
Lucem quo solis nemo videre potest:
Obfuscant etenim legis clarissima iura,
Et sua nox tetra vendicat esse diem;
Istis inque viris perdit sua lumina splendor,
Verum mentitur, fraus negat esse fidem.
Lex fuit et pietas dormit, sapiencia fallit,
Pax grauat, et lites commoda queque ferunt:
Et sic lex legi a ledo ledis in isto,
Et ius a iurgo, tempore iura legit.
Vno set populi firmo si staret amore,
Causidici vanus tunc foret ille status.

Est bona lex in se fateor, tamen eius inique
Rectores video flectere iura modo.
Non licet, ut dicunt, quod conspiracio fiat,
Non tamen hoc faciunt quod sua iura docent:
Contra causidicum si quid michi lex det agendum,
Et peto consilium iuris habere meum,
Tunc dicunt alii, nolunt obstatre sodali;
Sic ledunt, set eos ledere nemo potest.
Sic sibi causidicus mundi perquirit honores,
Subuertens lingue iura vigore sue:
Castiget reliquos lex quos vult, non tamen ipsos,
Quos deus aut mundus nescit habere probos.

225 que L

Liber SEXTUS

Hic loquitur qualiter isti causidici et iuris aduocati, in
sua gradatim ascendentibus facultate, Iudicisque aspirantes
officium, iudicialis sollii tandem cacumen attingunt; ubi quasi
in cathedra pestilencie sedentes, maioris auaricie cecitate
percussi, peioris quam antea condicionis existunt.

Cap^a. iii. Est Apprenticius, Sergantus post et Adultus,

Iudicis officium fine notabit eum.

237

Si cupit in primo, multo magis ipse secundo,
Tercius atque gradus est super omne reus;
Et sic lex graibus auri moderatur habenis,
Quod modo per iustas non valet ire vias.
Libera qualis erat lex non est, immo ligata
Carcere nummorum ceca cupido tenet:
Aurea ni clavis dissoluerit ostia clausa,
Eius ad introitum nullus habebit iter.
Nil manus in pulsu, nil vox clamore iuuabunt
Te cum lege loqui, qui sine clave venis:
Dux tibi si nummus non sit, conducat et ipse
Custodes legis, cassus abire potes.
Et sic causidicus causam, iudex neque iustum
Iudicium cernit, dux nisi nummus erit.

250

Sunt tria precipue, quibus est turbacio legis,
Vnde sui iuris perdit vbique locum;
Munus, amicicia, timor, hec tria iure negante
Pacta ferunt, quod eis obstat in orbe nichil.
Dicit enim Salomon oculos quod Iudicis aurum
Cecat, et est racio contaminata lucro;
Scimus et hoc omnes, qui iudicis extat amicus,
Perdere iudicio nil valet ipse suo.
Nouimus hoc eciam, tangat si causa potentem,
Cernere iusticiam dat timor inde fugam;
Horrendasque minas iudex non sustinet ipsas,
Sepius et precibus flectitur absque minis:
Litera magnatis dum pulsat iudicis aures,
Tollit vis calami debita iura sequi.
Set super omne modo sibi ve, qui pauper egendo
Quid petit in lege, dum nequit ipse dare!
Publica sunt ista nobis, quod lege moderna
Pauperis in causa ius negat acta sua.

260

Heading 4 pestilencie SH pestilencie CEDL

270

280

Sic ego non video mea que sunt, set dubitando
Auribus attonitis quero cauenda malis.
Ecce dies in qua, fuerat que iuris amica,
Nunc magis econtra lex gerit acta sua :
Larua tegit faciem, confundit glosaque textum,
Vertit et in logicam lex variata scolam ;
Absque tamen numero sunt legis in orbe scolares,
Plurima sunt folia, fructus et inde minor. 290
Nomine sub iusto quam sepe nephanda parantur,
Subque dolus facie plurima iuris agit :
Qui magis in causis discernunt talibus orbem,
Crimina sunt cautis ista timenda viris.
Grandia per multos tenuantur flumina riuos,
Alueus et sterilis sic vacuatur aquis :
Pluribus expensis patitur thesaurus eclipsim,
Fit, nisi preuideat, sepeque diues inops :
Sic humus ista breui ditissima tempore pauper,
Excessus legum ni moderetur, erit. 300
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
Sic nec auaricie lex medicamen habet.
Est mea bursa potens, lex inde subacta silebit,
Preueniens auro singula iura fugo :
Aut si magnatis michi curia sit specialis,
Nil opus est legum viribus, ipse loquor.
Continuata diu sic vicerat illa cicatrix,
Non habet vterius iam noua plaga locum.

Hic loquitur quasi per epistolam Iudicibus illis directam, qui
in caduca suarum diuiciarum multitudine sperantes, deum adiu-
torem suum ponere nullatenus dignantur.

Cap^m. v. O qui iudicia vite mortis quoque rerum
Clauditis in manibus appreciata lucris, 310
De qua iusticia vosmet saluare putatis,
Cum sit lex aliis vendita vestra dolis ?
O dilectores mundi falsique potentes,
Terre quique deos esse putatis opes,
O qui mundanos sic affectatis honores,
Est quibus assidua sollicitudo comes,
Discite precipitem quia sepius ardua casum

303 sub acta C

Expectant que leui mobilitate cadunt.
Sepius alta cadit ventorum flatibus arbor,
Planta satis placido permanet atque gradu : 320
Aerias alpes niuibus candescere scimus,
Quas subito torquent frigus et omne gelu ;
Est ibi ventorum rabies seuissima, dumque
Temperiem gratam proxima vallis habet.
Sic vobis numquam desunt aduersa, potentes,
Nec pax est vobis certa nec vlla quies.

Dic michi diuitibus si quando defuit hostis :
Quin magis hos quassat sepe ruina grauis.
Non dat securos nec ebur nec purpura sompnos,
Paupertas vili stramine tuta iacet : 330
Perdere quo possunt, torquet timor omnis auaros,
Vanaque sollicitis incutit umbra metus.

Auri possessor formidat semper, et omnem
Ad strepitum fures estimat esse prope ;
Arma, venena timet, furtum timet atque rapinas,
Fiduciam certam diues habere nequit.
Hunc, dum querit opes, cruciat miseranda cupidio,
Cum iam quesitas cepit habere, timor.

Sic igitur miser est, dum pauper querit habere,
Et miser est diues, perdere dumque timet. 340
Dum iacet in plumis, vigilans mens aspera sentit,
Feruet enim variis exagitata dolis :

Dicit, 'Habere volo vicini pauperis agrum,
Est etenim campus proximus ille meis.'

Sic fugat a domibus pupilos iste paternis,
Insequitur viduas iudiciisque premit :
Deliciis fruitur de rebus pauperis iste,
Dampna set alterius computat esse nichil.

Si posset mundum lucrari, quis deus esset,

Vlterius scire nollet in orbe deum.

Iudex, nonne tui fulgor tibi sufficit auri,
Vt caret tenebris mens tua ceca tuis ?
Apropriis aurum tibi fertile, nec tamen umquam
Ad sterilem vitam respicis ipse tuam.
Iusticie montes Iudex vix ardua purus
Scandit, dum mundi rebus onustus erit.

344 campis C (corr.)

353 Apropriis SC Aproprias EHGDL

Agrorum fines longos extendere queris,
Nec reputas vite tempora curta tue.
Quid petis argentum tibi? spem quid ponis in aurum?
Sunt nam communes omnibus orbis opes. 360
Sepius ista dei data conspicis hostibus esse,
Ante deum nulla laus et habetur eis:
Ista paganus habet, Iudeus, latro cruentus;
Crede quod iratus sepe dat ista deus.
Parua puto, quecumque malos contingit habere,
Non est prauorum copia grande bonum.
O quoziens vir iustus eget, scelerosus habundat,
Hic set non alibi, ius quia regnat ibi.
Dilectus domini moritur, dum viuit adulter,
Non tamen hii Christi sunt in amore pares: 370
Egrotat iustus, dum sanus floret iniquus,
Fine tamen proprium quisque reportat onus.
Si tamen in mundo iudex sibi ferre salutem
Possit, non curat quid sibi finis erit.
O qui cuncta cupis, cur temet deseris? Omne
Est quod in orbe tenes, set neque temet habes.
O qui scis alios non te, tu notus ad omnes,
Non tibi quid prodest illa sciencia, nil.
Te noscas igitur primo, me nosce secundo,
Rectum iudicium sic sapienter age. 380
Omnia que mundi sunt diligis, omnia Christi
Linquis, et ex nichilo credis habere satis:
Tu celum perdis, mundum lucraris, inane
Corpus supportas, spiritus vnde cadit.
Est tibi perfectum vanum, tibi mobile firmum,
Talis enim iudex non bene sentit opus:
Edificas turres, thalamos nouitate politos,
Quicquid et est orbis plus deitate colis:
Edificas ampla, fossa clauderis in arta, 390
Quo medium frontis ostia clausa prement.
Quid vestes referam, lectos vel iudicis edes,
Quorum luxuries nescit habere pares?
Qui modo prospiceret habitacula queque fuerunt,
Alterius nouiter diceret illa Iouis.
Gloria nonne tuis erit aut tibi pompa perhennis,
Quas facis in domibus, dum tua lucra rapis?

370

380

390

En cecidit Babilon, cecidit quoque maxima Troia,
Romaque mundipotens vix tenet illa locum.
Omnis habet subitum mundana potentia finem,
Atque fuga celeri deserit ipsa suos: 400
Iudex, ergo time, magnos qui scandis honores,
Teque ruinoso stare memento loco.
Omne quod est mundi tibi carum transiet a te,
Inque tuis meritis iudicat ipse deus:
Equaque lex domini tunc que modo cernis ineque
Discernet, que tibi pondera iusta dabit.
Cum te terribilis exactor missus ab equo
Iudice sulphurei merget in yma laci,
Prodolor! infelix tunc, quamuis sero, dolebis,
Talibus in falsis spem posuisse bonis: 410
Gemma vel argentum nec ibi descendet et aurum,
Nec fragilis mundi gloria lapsa breui.
Iudicibus populi vanum tamen est quod in ista
Materia scripsi; perdita verba dedi:
Que nam iusticia, que vel sit Iudicis equa
Condicio, non est tempore visa modo:
Iusticiarius est; sub tali nomine fallit,
Qui sine iusticia nomen inane gerit.

Hic loquitur de errore Vicecomitum, Balliuorum, necnon et
in assisis iuratorum, qui singuli auro conducti diuitum causas
iniustas supportantes, pauperes absque iusticia calumpniantur
et opprimunt.

Cap^a. vi. Nunc eciam vicecomitibus quid dicere possum?

Numquid in assisis dant nocumenta viris?
Macra fit hec causa, de qua viget vncio nulla
Distillans, vt eis vncia sit inde manus:
Legis in assisa si sint tua dona recisa,
Ius perit et causa scinditur inde tua;
Si tamen assessa sint pre manibus tua dona,
Tunc potes assisis sumere lucra tuis.

Vtque bouem, precio qui stat conductus aratro,
Sic tibi iuratos munere ferre vales:
Hii tibi proque tuis vendent periuria nummis,
Sic aurum iura vincit in vrbe mea:

405 que tunc modo C 430 orbe CE

R

Diuitis iniustam causam sic cerno quietam,
 Et iustum causam pauperis esse ream.
 Non comes a vice, set vicio comes accipit ortum,
 Iuris auaricie fert tamen ipse vices.
 Sic dico vicecomitibus, quod munere victi
 Communi populo dant nocumenta modo:
 Nec sibi iurati sapiunt quid, sit nisi lucri,
 De sale conditum quod dabis ante manum:
 Causidici lanam rapiunt, isti quoque pellem
 Tollunt, sic inopi nil remanebit oui.
 Sic ego legiferis concludens ultima primis,
 Dico quod ex bursa lex viget ecce noua;
 Ut margaritas si porcus sumat in escas,
 Sumunt legiferi sic modo iura sibi.
 Vendere iusticiam quid id est nisi vendere Cristum,
 Quem Iudas cupido vendidit ipse dolo?
 Numquid adhuc Iude similis quis viuit in orbe?
 Immo sibi plures viuere credo pares.
 Namque semel Iudam talem committere culpam
 Nouimus, hunc et eo penitusse lego;
 Nunc tamen ut merces vendunt communiter omnes,
 Gaudentes lucrum sic habuisse suum.
 Rettulit hoc premium Iudas quod cepit iniqum,
 Nec liquet hinc veniam promeruisse suam:
 Nunc erit ergo quid hiis, vendunt qui iura sinistris,
 Est quibus hora fori cotidiana quasi?
 Ut vorat et stricte tenet ipsa vorago gehenne,
 Nec reddit villus homo liber ab ore suo,
 Sic modo qui vendunt leges que premia carpunt,
 Hec valet a manibus tollere nemo suis;
 Et quia sic similes inferno suntque tenaces,
 Credo quod infernus fine tenebit eos.
 Quid seu Balliuis dicam, qui sunt Acherontis
 Ut rapide furie? Tu magis inde caue.
 Quo portas intrant, prenistica dampna figurant,
 Cunctis namque viis ve comitatur eis.
 Ut Crati bufo maledixit, sic maledico
 Tot legum dominis et sine lege magis.

445 id erased in C

456 ora CE

440

450

460

Hic loquitur quod sicut homines esse super terram necessario expedit, ita leges ad eorum regimen institui oportet, dummodo tamen legis custodes verum a falso discernentes unicuique quod suum est equo pondere distribuant. De erroribus tamen et iniuriis modo contingentibus innocentiam Regis nostri, minoris etatis causa, quantum ad presens excusat.

Cap^m. vii. Pro transgressor fuerant leges situate,
 Quilibet ut merita posset habere sua:
 Nunc tamen iste bonus punitur, et alter iniquus,
 Dum viget ex auro, iustificatur eo.
 Omnia tempus habent et habet sua tempora tempus,
 Causaque sic causas debet habere suas.
 Quid mare conferret, altis dum fluctuat vndis,
 Sit nisi nauis ei quam vehit vnda fluens?
 Set quid fert nauis nisi nauta regens sit in illa?
 Quid valet aut nauta, si sibi remus abest?
 Quid mare, quid nauis, quid nauta, vel est sibi remus,
 Sit nisi portus aquis ventus et aptus eis?
 Gens sine lege quid est, aut lex sine iudice quid nam,
 Aut quid si iudex sit sine iusticia?
 In patria nostra si quis circumspicit acta,
 Hec tria cernet ibi sepe timenda michi.
 Omnia dampna grauunt, set nulla tamen grauiora,
 Quam cum iusticiam iustus habere nequit.
 Ex iniusticia discordia crescit, et inde
 Cessat amor solitus, murmurat atque domus:
 Murmur si veniat, venit et diuisio secum,
 Terraque diuisa non bene stabit ea;
 Et quodcumque sit hoc per se quod stare nequibit,
 Ve sibi, nam subito corruet absque modo.
 Testis enim deus est, dicens quod regna peribunt
 In se diuisa, credoque dicta sua.
 Ergo videre queunt quotquot qui regna gubernant,
 Nostre pars sortis maxima spectat eis.
 Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui,
 Nam caput infirmum membra dolere facit:

Cap. vii. Heading 5 ff. innocentiam—excusat] omnipotens qui cuncta discernit causas melius nouit G (ras.) D (Heading om. L)

476 quem S

493 No farngr. S

Dux si perdat iter, errant de plebe sequentes,
Et via qua redient est dubitanda magis.
Propter peccatum regis populi perierunt,
Quicquid et econtra litera raro docet;
Regia set bonitas fert plebi gaudia pacis,
Nam deus ad sancti regis agenda fauet:
Si viciosus enim sit rex, quia lex nequit, ipsum
Vult punire deus, qui super omne potest.
Expediens populo foret vt bene viueret omnis
Rex, iacet in manibus sors quia bina suis:
Vna salus populi rex qui bene viuit habetur,
Plebis et in pestem rex malus acta parit;
Eius enim scelera constat magis esse nocua,
Cuius habent populi condita iura sequi.
Cum sit maior homo, sunt plus sua crimina tanto;
Dum cadit ex altis, leditur inde magis.
Plures cerno reos, magis attamen omnibus ipsos,
Legiferi qui sunt et sine lege manent.
Cum sine lege furit regni viciata potestas,
Esse nichil toto tristius orbe potest:
Sanccius esse pecus animoque capacius ipso
Estimo, qui iura dat neque seruat ea.
Imperium Regis non solum bella triumphis
Ornant, set leges seruat vbique bonas.
Nonne domus poterit componere se sine lignis;
Set sibi quid ligna, si nec acuta foret?
Set quid acuta valet, nisi persistens operantis
Vnitis causis sit manus artificis?
Hec sibi si fuerint coniuncta, per omne iuuabunt,
Et si diuisa, pars sibi nulla iuuat.
Terra quid est sola, populus nisi sistat in illa?

After 522 D has the following:—

Regis namque modus alios moderatur, et omnis
Iuris ad officium dicitur esse caput.
Si bonus esse velit Rex, hii qui sunt bonitatis
Sunt magis edoeti condicione sua:
Si malus esse velit, simili Rex sorte clientes,
Vt sibi complaciant, eligit, ornat, amat.
Iamque supercreuit dolus et defecit honestas,
Sentit et opprobrium, quod fuit ante decus.

Then l. 522 (repeated) and 523 ff.

500

510

520

530

540

Quid populus ve sibi, rex nisi regnet ibi?
Est quid rex, nisi consilium fuerit sibi sanum?
Sunt quid consilia, rex nisi credat ea?
Attamen in nostra sic stat diuisio terra,
Quod sibi quisque suam iam legit ire viam:
Concives hodie discordia vexat in vrbe,
Extinguit quod ius quilibet alterius;
Nec lex campestris est iam memorata magistris,
Set qui plus poterit, ipse magister erit.
Nunc clerus populum, populus culpat quoque clerum,
Et tamen in culpa persitat vterque sua:
Invidus alterius nunc culpat quemlibet alter,
Parsque suum proprium nulla reformat iter.
Si videoas vtrunque statum, dices quia certe
In magnis lesi rebus vterque sumus.

Nunc magis in specie vox plebis clamat vbique
Pectore sub timido que metuenda fero.
Curia que maior defendere iura tenetur,
Nunc magis iniustas ambulat ipsa vias:
Infirmo capite priuantur membra salute,
Non tamen est medicus qui modo curat opus. 550
Est ita magnificus viciorum morbus abortus,
Quod valet excessus tollere nulla manus:
Sic oritur pestis, per quam iacet obruta virtus,
Surgit et in vicium qui regit omne forum.

545-580 *Text SCEHGDL As follows in TH:*

Nunc magis ecce refert verbi clamantis ad aures
Vox, et in hoc dicit tempore plura grauant.
Crimen et, vt clamat, fert maius curia maior,
Que foret instructor, legibus extat egens.
Ad commune bonum non est *(modo)* lingua locuta,
Immo petit proprii commoda quisque lucri. 550*Agnen adulantum media procedit in aula,
Quodque iubet fieri, curia cedit eis:
Set qui vera loqui presumunt, curia tales
Pellit, et ad regis non sinit esse latus.

536 vterius SH (*v nearly erased in S*)

545* magis om. T 549* modo om. TH, 550* iubent H,

Rex, puer indoctus, morales negligit actus,
In quibus a puero crescere possit homo:
Sic etenim puerum iuuenilis concio ducit,
Quod nichil expediens, sit nisi velle, sapit.
Que vult ille, volunt iuuenes sibi consociati,
Ille subintrad iter, huique sequuntur eum: 560
Vanus honor vanos iuuenes facit esse sodales,
Vnde magis vane regia tecta colunt.
Hii puerum regem puerili more subornant,
Pondera virtutum quo minus ipse gerit.

Sunt eciam veteres cupidi, qui lucra sequentes
Ad pueri placitum plura nephanda sinunt:
Cedunt morigeri, veniunt qui sunt viciosi,
Quicquid et est vicii Curia Regis habet.
Error ad omne latus pueri consurgit, et ille,
Qui satis est docilis, concipit omne malum: 570
Non dolus immo iocus, non fraus set gloria ludi
Sunt pueris, set ei sors stat aborta doli.

Stat puer immunis culpe, set qui puerile
Instruerent regimen, non sine labore manent:
Sic non rex set consilium sunt causa doloris,
Quo quasi communi murmure plangit humus.
Tempora matura si rex etatis haberet,
Equaret libram que modo iure caret: 560*Regis namque modus alios moderatur, et omnis
Iuris ad officium dicitur esse caput.
Si bonus esse velit rex, hii qui sunt bonitatis
Sunt magis edicti condicione bona:
Si malus esse velit, simili rex sorte clientes,
Vt sibi complaciant, eligit, ornat, amat:
Hoc set eum tangit discretum quem probat etas,
Non puerum, quia tunc fit sibi culpa minor
Non est nature lex nec racionis, vt illud
Quod mundum ledit sit puerile malum; 570*Non dolus, immo iocus, non fraus set gloria ludi,
Sunt pueris, nec ibi restat origo mali.

555 negligit S respuit CEHGDL 564 virtum H
561* omnes THs 564* magis om. T 566* complaceant Hs

Sunt tamen occulte cause, quas nullus in orbe
Scire potest, set eas scit magis ipse deus:
Nescit enim mater nato que fata parantur,
Fine set occultum clarius omne patet.
Talia vox populi conclamat ubique moderni
In dubio positi pre grauitate mali:
Sic ego condoleo super hiis que tedia cerno,
Quo Regi puer scripta sequenda fero. 580

Hic loquitur quod, exquo omnes quicunque mundi status
sub regie magestatis iusticia moderantur, intendit ad presens
regnaturo iam Regi nostro quandam epistolam doctrine
causa editam scribere consequenter, ex qua ille rex noster,
qui modo in sua puerili constitutur estate, cum vberiores
postea sumpserit annos, gracia mediante diuina, in suis
regalibus exercendis evidencius instruatur. Et primo dicit
quod, quamvis regalis potencia quodammodo supra leges
extollatur, regiam tamen decet clemenciam, quod ipso bonis
moribus inherendo, quasi liber sub iusticie legibus se et
suos in aspectu Regis altissimi assidue gubernet.

Cap. viii. Cumque sui Regis legi sit legius omnis
Subditus, et toto corpore seruit ei,
Est ita conueniens quod eum de corde fideli
Mentis in affectu legius omnis amet:
Regis et est proprium, commissam quod sibi plebem
Dirigat, et iusta lege gubernet eam.
Hinc est, quod normam scriptis de pluribus ortam
Regis ego laudi scribere tendo mei.
O pie rex, audi que sit tua regula regni,

Dixit enim Daniel, quod de senioribus orta
Exiit impietas, quam furor orbis habet:
Omne quod est mundi vicium plantant veterani,
Et quasi de peste sparsa venena serunt.
Horum namque scelus fertur maculare figuras
Tocius mundi, quo furit ira dei.
Iamque supercrevit dolus et defecit honestas,
Sentit et opprobrium quod fuit ante decus. 580*

Cap. viii. Heading 3 regnaturo] excellentissimo T (*text over erasure SCHG*)
doctrine causa] in cuius honore T (*text over erasure SCHG*)
376* de peste Hs depiste T 579* supercernit T deficit T

Concordans legi mixtaque iure dei.
 Legum frena tenens freno te forcius arcē;
 Dum nullum metuis, sis metus ipse tibi :
 Namque timor, virtus humilis, fugit omne superbū,
 Et quasi virtutum clauiger esse solet.
 Est tibi, rex, melius quod te de lege gubernes,
 Subdere quam mundi singula regna tibi :
 Est propter mundum tibi subdita sors aliorum,
 Tu propter celum subditus esto deo.
 Vt tibi deseruit populus de lege subactus,
 Cristi seruiciis temet ad instar habe :
 Vincere te studeas, alios qui vincis, et omnes
 Excessus animi subdere disce tui :
 Iustificans alios cupias te iustificare,
 Iuraque dans plebi, des ita iura tibi.
 Qui superas alios, temet superare labora ;
 Si rex esse velis, te rege, rex et eris.
 Qua fore se regem poterit racione fateri,
 Mentis qui proprie non regit acta sue ?
 Non valet hoc regimen aliis conferre salutem,
 Dum sibi non fuerit rector, vt esse decet.
 Dum tibi cuncta licent, ne queras cuncta licere,
 Res etenim licite noxia sepe ferunt :
 Tu super es iura, iustus set viue sub illis,
 Spesque tui nobis causa salutis erit.
 Est mors ira tua, potes id quod non licet, et te
 Prestita vota tamen ducere iuris habent :
 Quod licet illesa mentis precordia seruat,
 Omne tamen licitum non probat esse probum :
 Quod licet est tutum, set que potes illa sub arto
 Discute iudicio fultus honore tuo.
 Micius acta regas, aliter nisi causa requirat ;
 Asperitas odium seuaque bella mouet.
 Non te pretereat populi fortuna potentis
 Publica, set sapiens talia fata caue.
 Vita Pharaonis et gesta maligna Neronis,
 Que iusto regi sunt fugienda docent.
 O bone rex iuuenis, fac quod bonitate iuuentus
 Sit tua morigeris dedita rite modis.

613 super.es SGDL superes CEHT

590

600

610

620

630

640

650

660

Quid tibi forma iuuat vel nobile nomen Auorum,
 Si viciis seruus factus es ipse tuis ?
 Doctor Alexandri Magni prauos sibi mores
 Primitus edocuit, dum puer ipse fuit :
 Rex puer hec didicit, que post dum dedidicisse
 Temptauit, primus obstat abusus ei :
 Vicit Alexander Darium simul et Babilonem,
 Set nequit impressum vincere corde malum.
 Nuper in exemplis scripserunt sic sapientes,
 Quod prius imbuerit, testa tenere solet :
 Rex, igitur cicius viciosos pelle remotos,
 Nam vix turpe vetus nescit abire foras.
 Plaude bonis, fuge prauorum consorcia, labem
 De pice tractata contrahit egra manus.

Hic loquitur qualiter rex sibi male consulentes caucius
 euitare, proditoresque regni sui penitus extinguere, suorum
 etiam conditiones ministrorum diligencius inuestigare, et quos
 extra iusticiam errantes inuenerit, debita pena corrigere debet
 et districcius castigare.

Cap. ix. Sordibus implicitos falsosque cauebis amicos,

Qui tua depositunt, te nec amare volunt :
 Blanda dolosorum fugias per verba leuari,
 Ne speciale tuum nomen ad yma ruant :
 Verba nimis leuiter audire que credere dicta
 Sepe supervacuos cogit inire metus.
 Vir qui bella mouet, qui predas consulit, et qui
 Conspirat taxas plebis habere tue,
 O rex, oro tuas quod claudas talibus aures,
 Ne tua nobilitas lesa fatiscat eis.
 Consilium regale tuum vir nullus auarus
 Tangat, set tales mortis ad instar habe.
 Illud in orbe malum non est, quod cordis auari
 Non latet in cella, dum sitit inde lucrum :
 Ambulat in tenebris, opus exercet tenebrarum,
 Odit et impugnat nil nisi pacis opus.
 Qui mel in ore gerens, set habens in corde venenum,
 Pacis habet verbum, mente notando malum,

Cap. ix. Heading 1 rex om. C
 652 fatescat H 658 impungnat S

Hic est versutus, inimicis regis amicus,
Semper venalis, dum vacat ipse lucris;
Vipereum genit et vanum plenumque veneno,
Fraudibus, insidiis, artibus arma parat:
Semper in insidiis sedet incautisque nocere
Temptat, et occulto fabricat ipse dolos.
Hic rimans animos hominum secreta reuelat,
Et similis Iude fabricat acta sua.

Qui te sollicitat, rex, et subuertere temptat,
Qui te persuadet soluere iussa dei, 670
Quis sit et ipse vide, qualis vel condicionis,
Aut tibi si vera dicere verba velit.
Discute mente prius animum temptantis, et audi
Si vel constanter vel dubitanter agat,
Si tibi preponat dubium, mendacia fingens:
Semper deprendi verba dolosa timent.
Cum sit causa doli, pie rex, tu credere noli,
Si quis agat praeue, tu sua facta caue.
Multus non credit, nisi cum res noxia ledit;
Ante manum sapiens prouidet acta regens: 680
Decipiuntur aues per cantus sepe suaves;
Blande, rex, lingue mellea verba fuge.
Rex, bona digna bonis da premia, rex, et inquis
Que sua promeruit premia culpa dabis:
Latro bonus veniam Cristo miserante meretur,
Penam promeruit in cruce latro malus.
Obsequium prauum trahit e manibus graue donum,
Que sunt facta suo fine notabit homo.

Si scelus vlcisci racio certissima poscit,
Iustus in hoc casu quod decet illud age.⁶⁹⁰
Ficta tibi pietas non mulceat aspera iuris,
Vicio iudicium compleat immo tuum:
Sepe pericla fera fert iudicis vlcio tarda,
Destruit ille bonos qui sinit esse malos.
Diuersas penas diuersis addito culpis,
Mille mali species, mille salutis erunt.
Iudicii signum gladius monstrare videtur,
Proditor vt periat, rex tenet arma secus:
Rex iubeat tales laqueo super alta leuari,

Ne periat Regis legis et ille status.
Rex, age, ne plebis furiens discordia dicat,
'Lex caruit rege iura paterna regens':
Absit et hoc vulgo ne dicat, iure remoto,
Quod nichil auxili principis vmbra facit.
Fraus cum fraude sua periat de morte remorsa,
Vt stet iusticia regia laude tua:
Sic dicant populi, 'Sit semper gloria regi,
Quo bona pax viguit, quo reus acta luit.'

Precipitur gladius vibratus semper haberi,
Prompcius vt crimen iudiciale ferat:
Ense quiescente, compescere non valet orbem;
Qui regnare cupit sanguine iura colat.
Arma ferunt pacem, compescunt arma rapacem,
Vt reus hec timeat, rex probus arma gerat;
Nomine subque tuo ledant ne forte quirites,
Plebem te tenero corde videre decet:
Si vis namque tuos non castigare ministros,
Crimen habet culpe regia culpa sue.
Euolat ancipiter ad predas, lucra suisque
Deseruit dominis in rapiendo cibos:
Sic sunt qui regi famulando suos et ad vsus
Tollunt pauperibus dampna ferendo nimis.
In prece pondus habet pauper qui claimat egenus
Ad dominum, memor est pauperis ipse sui.
Sicut enim presul, qui custos est animarum,
Pondus in officio debet habere suo;
Comptus vtque suus, sic stabit et ultima merces,
Gloria vel pena perpetuatur ei;
Rex ita qui nostrum moderaris legibus orbem,
Dona tuis meritis conferet equa deus. 720

Posse tuum grande, rex, est, que potencior ille,
Omne tuum cuius dextera librat epus.

Hic dicit quod rex sano consilio adhereat, ecclesie iura
supportet et erigat, equus in iudiciis et pietosus existat, suamque
famam cunctis mundi oibibus preponat.

Cap. x. Sperne malos, cole prudentes, compesce rebelles,

700, 705 periat SHT pereat CEDL

Cap. x. Heading a supportet erigat et defendat D

Da miseris, santes respue, parce reis.
 Quicquid agas, vicio numquam mergatur honestum;
 Fama lucro, rebus preficiatur opus.
 Nil tibi, rex, fingas pro mundo, quo reputeris
 Iustus apud proceres et reus ante deum:
 Ecclesiam studeas multa pietate souere,
 Cuius enim precibus vult diadema geri.
 Pauperis et vidue dum cernis adesse querelas,
 Iudicium miseris cum pietate geras.
 Expedit interdum sanccta remittere legum,
 Ne periat pietas de feritate tua:
 Indulgere tuis tua sic dignetur honestas,
 Nam puto sepe deum viuere velle reum.
 Par quoque portet onus sic nobilis atque colonus,
 Et nichil archanum polluat ante manum.
 Ardua si causa tibi sit, videas, quia certe
 Tarda solet magnis rebus inesse fides.
 Rebus in ambiguis tu certum ponere noli,
 Fallitur augurio spes bona sepe suo:
 Est magis humani generis iactura dolori,
 Nescit principium quid sibi finis aget.
 Dum tibi suadet opus tractare negotia regni,
 Consilium regat hoc cum seniore senex.
 Ibit in occasum quicquid dicemus ad ortum,
 Lingua loquax habitum nesciat ergo tuum.
 Consilium prauum regalem turbat honorem,
 Prouocat inque scelus que bona pacis erant.
 Iura dabit populo senior, discretaque iustis
 Legibus estetas vnde petatur honor.
 Est satis ille senex, cuius sapiencia sensum
 Firmat in etate, sit licet ipse minor.
 Non stabiles animos veteres fatuam ve iuuentam
 Comprobo, non etas sic sua iura dedit:
 In sene multociens stat condicio iuuenilis,
 Dum iuuenis mores obtinet ipse senis.
 Caucius ergo statum videas, pie rex, ad vtrumque;
 Vnde legas homines, tu prius acta proba.
 Qui tibi seruicium prebet nec invitis aurum
 Appetit, hic seruus debeat esse tuus:

743 sanctita DT sancciata L 765 fatuos ve C statuam ve E

740

750

760

770

Dulcissus est mercede labor qui regis honorem
 Spectat, et in tali spem tibi ferre potes.
 Est qui pacificus, est vir qui juris amicus,
 Liber auaricie, largus ad omne bonum,
 Vttere consilio tali, pie rex, vt habundet
 Cronica perpetue laudis in orbe tue.
 Fama volans gratis, nullo soluente catenam,
 Proclamat meritis ista vel illa tuis:
 Nomen, crede, bonum gasas precellit, honorem
 Conseruat, remouet scandala, laude viget:
 Tange bonum florem, dulcem prestabit odorem,
 Sic virtusque viri fragrat vbique boni.
 Consule doctores legis, discede malorum
 A conventiculis, concomitare bonos:
 Vt granum de messe tibi, de fonte salubri
 Pocula, de docto dogmata mente legas.

780

Hic loquitur qualiter regiam libertatem in viciorum nullatenus decet incidere seruitutem, set sicut coram populo alios excellit potentia, ita coram deo pre ceteris ampliori virtutum clarescat abundancia.

Cap^m. xi. Gloria nulla, precor, te, rex, extollat inanis,
 Tedia nam populis vita superba parit.
 Musca nocet modica, modicis sis prouidus ergo,
 Non faciunt tutos regia ceptra suos:
 Exiguus magnum vicit Dauid ille Goliam,
 Nam virtus humilis corda superba domat.
 Cristus amans humiles leuat, et de corde superbos
 Obruit, ergo pie, rex, tua regna rege.
 Sit tibi credibilis sermo consultaque verba,
 Quo, quibus et quando, sicut oportet agi:
 Vt scriptura fidem tuus addat sermo per aures,
 Verba minus certi ficta timoris habent.
 Mocio, rex, in te subito non irruat ire;
 Causas iusticie set moderanter age:
 Ira mouens animum tollit sibi vim racionis,
 Et discreta sue mentis agenda negat.

790

800

779 soluente CEH iubente SGDL 791 sis] sic CE 792 septra C
 sceptrum E

Mors et vita tuis manibus de lege feruntur,
Prouidus in causis te decet esse magis :
Nulla cupido tuam valeat corrumpere famam,
Immo tuis donis gaudeat omnis humus.
Seruus auaricie non debet nobilis esse
Rex, set erit regis liber vbique status. 810
Larga tuis meritis inopes elemosina curet,
Qua poteris regem pacificare deum :
Fac bona queque potes modico dum tempore viuis ;
Multus metes, si nunc semina pauca seris.
Da tua non parce, cui des tamen aspice caute ;
Crede, satis res est ingeniosa dare :
Non perit hec probitas que dona rependit honeste,
Namque piam laudem res data dantis habet.
Sepe iuuat, nec eo minor est substancia ponti,
Qui modicam pleno flumine sumit aquam : 820
Sic tua rite iuuet miseros elemosina sumpta,
Nec erit argenti sic tua summa minor.
Si quis amore dei miseris sua dona ministrat,
Munera tempus habent, fama perhennis erit.
Scindantur vestes, gemme frangantur et aurum,
Porridge pauperibus que dedit ante deus.
Est ancilla dei simplex elemosina, mortis
Antitodium, venie porta, salutis iter :
Disputat aduersus dantis peccata, perorat
Auctori, redimit probra, precatur opem.
Peccatum mors est anime, mors debita pena
Peccato, set in hoc mens pia delet eam. 830
Absit culpa gule tibi, rex, nam regis honestas
Omnis mundicie debet honore frui :
Illud enim vicium primeum labo parentem
Dampnauit, fragilis quo cadit ipse reus :
Hostis in hoc vicio Cristum temptauit, et ipse,
Qui rex est verus, respuit illud opus :
Ecce Saül pugnare volens ieiunia cunctis
Imposuit, donec hostica tela domet. 840
Rex, tibi pigriiem pellas et motibus obsta
Carnis, et ad mores arripe fortis iter :
Regius vtque status plebem supereminet omnem,
Nobilis in gestu sic magis ille foret.

810

820

830

840

O tener annorum, dolus in quo nullus habetur,
Simplex nobilitas, perfida tela caue :
Etas namque doli non te sinit esse capacem,
Non te vultque tuum degenerare genus.
Sunt tibi forma, genus, honor, ordo, decus que potestas ;
Contulit hec ortus libera dona tuus : 850
Teque sequantur ita laus, virtus, gracia morum,
Et sic plenus homo, rex pie, viue deo.

Hic loquitur qualiter rex a sue carnis voluptate illicebra
specialiter se debet abstinere, et sub sacre legis constitutione
propter diuinam offensam sue coniugis tantum lictio fruatur
consocio.

Cap^a. xii. O super omne fuge, pie rex, ne ceca voluptas
Carnis ad illicebra prouocet acta tua ;
Sponsus set propria de legibus vtore sponsa,
Nec spolies sacrum laudis honore thorum.
Nulla vetus scriptura docet regum quod ab euo
Stant Venus et regnum pacificata simul :
Intendat Veneri quod homo simul et racioni,
Numquam possibile creditur illud opus. 860
Pluribus exemplis tibi luxus erit fugiendus ;
Biblia que docuit, respice facta Dauid :
Involuit regem processu temporis error,
Eius dum rapuit cor mulieris amor :
Quis dolor inde fuit, seu que vindicta secuta,
Terret adhuc animum qui legit illa viri.
Sit tibi culpa Dauid speculum, specularis in illo,
Casus vt alterius te super alta leuet :
Felix quem faciunt aliena pericula cautum,
Precauet vnde vias quas videt ante manum. 870
Respicere, dum populum fraus nulla valebat Hebreum
Vincere, femineus vicit amore dolus.
Exemplis Balaam docearis, quomodo regem
Ipse Balak docuit, qualiter ecce fuit.
Consilium dedit ipse Balak, qua turbet Hebreos
Arte, quibus frangat hostica bella dolis.

849 decorque C

Cap. xii. Heading 1 illicebra CE (so also below)

873 Exemplo C

'Accipe, rex,' inquit, 'quo consilio potes vti :
 Non vincit populus viribus ille suis ;
 Immo colendo deum corpusque gerendo pudicum,
 Vincere semper habet ille per ista duo. 880
 Vt superes illum non Marte set arte, pueras
 Elige, quas ornat vestis et oris honor ;
 Que manibus plaudant, pede ludant, noctibus ignem
 Spirant, plectra gerant, astra decore premant :
 Non rigor armorum set lusus pugnet amorum,
 Non acuum ferrum, set muliebre forum :
 Sic species vincat acies, sic arma virorum
 Forma puellarum sub pede victa terat.
 Celestis sic ira dei consurget in illos,
 Sic victor populi leta trophea ferens.'

Rex hoc consilium credens dedit esse, pueras
 Preparat insignes sidereasque genas :
 Prelia mira parat, arcu non arcet Hebreos,
 Non ferit hos ferro nec feriendo fugat :
 Pugnat non equitum loriscis, set nec equorum
 Loris, immo liris femineisque choris.
 Hec canit, hec ludit, hec adiuuat arte decorum,
 Vt gemino vultu fallat in ore decor ;
 Per faciem iacit ista facem, vomit hec per ocellos
 Sintillas, profert illa per ora fauos : 900
 Hee species animos predantur plebis Hebrei ;
 Peccant, peccantes opprimit ira dei.

Rex tibi sume notam, quam te docet experimentum,
 Et vetus exemplum det tibi scire modum.
 Rex, et in exemplis regis concerne Saülis,
 Femina dum superest, qualia mira potest :
 Demonis arte potens Maga suscitat illa prophetam,
 Regis et ad nutum stare coegit eum.
 Corpora que poterat sibi subdere mortua, viuos
 Arte magis facilis subderet illa viros. 910
 Qui premunitur non fallitur, ergo cauendum
 Est tibi, rex, corpus vt sine labe regas.
 Rex es, regina satis est tibi sufficit vna ;
 Hanc tibi consocies, sic docet alma fides :

890 leta] victa C 894 fugat] furit CEH 899 iacet SD

'Accipe, rex,' inquit, 'quo consilio potes vti :
 Non vincit populus viribus ille suis ;
 Immo colendo deum corpusque gerendo pudicum,
 Vincere semper habet ille per ista duo.

880

Vt superes illum non Marte set arte, pueras
 Elige, quas ornat vestis et oris honor ;
 Que manibus plaudant, pede ludant, noctibus ignem
 Spirant, plectra gerant, astra decore premant :
 Non rigor armorum set lusus pugnet amorum,
 Non acuum ferrum, set muliebre forum :
 Sic species vincat acies, sic arma virorum
 Forma puellarum sub pede victa terat.
 Celestis sic ira dei consurget in illos,
 Sic victor populi leta trophea ferens.'

890

Rex hoc consilium credens dedit esse, pueras
 Preparat insignes sidereasque genas :
 Prelia mira parat, arcu non arcet Hebreos,
 Non ferit hos ferro nec feriendo fugat :
 Pugnat non equitum loriscis, set nec equorum
 Loris, immo liris femineisque choris.
 Hec canit, hec ludit, hec adiuuat arte decorum,
 Vt gemino vultu fallat in ore decor ;
 Per faciem iacit ista facem, vomit hec per ocellos
 Sintillas, profert illa per ora fauos : 900
 Hee species animos predantur plebis Hebrei ;
 Peccant, peccantes opprimit ira dei.

900

Rex tibi sume notam, quam te docet experimentum,
 Et vetus exemplum det tibi scire modum.
 Rex, et in exemplis regis concerne Saülis,
 Femina dum superest, qualia mira potest :
 Demonis arte potens Maga suscitat illa prophetam,
 Regis et ad nutum stare coegit eum.
 Corpora que poterat sibi subdere mortua, viuos
 Arte magis facilis subderet illa viros. 910
 Qui premunitur non fallitur, ergo cauendum
 Est tibi, rex, corpus vt sine labe regas.
 Rex es, regina satis est tibi sufficit vna ;
 Hanc tibi consocies, sic docet alma fides :

910

Rex, ita si fugias viciorum pondera, mores
 Et teneas, poteris quicquid habere velis.

Hic loquitur et ponit magnifico iam regi nostro Iuueni nuper
 Serenissimi Principis patris sui exempla, dicens quod, vbi et
 quando necessitatis illud exigit facultas, rex contra suos hostes
 armorum probitatem audacter exerceat, et quod ille nulla ad-
 uersitate constanciam sui vultus videntibus aliis amittat.

Cap. xiii. Est tibi, rex, aliud, quod sis defensor in armis
 Plebis ; et vt iura de probitate tegas,
 Huius in exemplum reminiscere facta paterna,
 Cuius adhuc vigilans laus ubicumque sonat. 920
 Numquam de terra nomen delebitur eius,
 Precellunt armis Hectoris arma sua ;
 Inque suam laudem que tuam mea scripta reuoluo,
 Vt probitate memor sit tibi patris honor.
 Iustus erat iustos, probus vnde probos sibi legit,
 Nec sinit vrticas commaculare rosam :
 Confluit in donis non parce dona merenti,
 De largo corde fit sibi larga manus :
 Extera depredat loca, set sua propria seruat,
 Et sibi commisso prospera plebis agit. 930
 Eius enim laudes si nos cantabimus omnes,
 Omnia sunt meritis ora minora suis :
 Nulla suum meritum poterit complectere fama,
 Vox minor est omnis laude ferenda sua.
 Vt breuitate loquar, tantus princeps fuit ille,
 Laudantium poterit quantus ab ore cani.
 Francia sentit eum, recolens Hispannia vires,
 Vnde subegit eam de probitate, timet.
 Turbans hostiles turmas mediosque per hostes
 Irruit, et rumpit more leonis iter : 940
 Vt lupus ipse fame strictus dispergit ouile,
 Hos premit, hos perimit, hos secat hosque necat.
 Sobrius in gestis semper fuit ille, set hostis
 Sanguine sepe suus ebrius ensis erat :
 Pugnat et impugnat expugnans acriter hostes,

Cap. xiii Heading 4 exerceat C exerciat L
 945 Pugnat et impugnat expugnans CEDL Pugnat et impugnat
 expugnans S Pugnat et impugnat expugnans HGT
 *** S

Vaginam siccus mucro subire negat:
Fit satur hostilis hostili sanguine mucro,
Armorum pascit sanguinis vnda sitim
Intra vaginam mucro torpere recusat,
Euomitur gladius eius ab ore foras.
Sicut aper querulis siltuis latratibus actus
Letifero celeres conterit ore canes,
Sic magis audaces prope se quos attigit hostes,
Fulmineo gladii triuit in ore sui.
Singula perdomuit fera prelia more leonis;
Depopulans populos forcia castra ruit:
Vt predas raperet, audax descendit in hostes,
Hostica sunt eius colla subacta manu:
Colla superborum premitt eius dextra per orbem;
Sic leopardus eo dicitur esse leo.

950

Terra quieta fuit sub tali principe magno,
Non terret gladius quos tegit illa manus:
Sub ficu, sub vite sua, sub fronde, sub vmbra,
Quisque manet tutus nobilis ense ducis:
Sic robusta sua virtus plus surgit in altum,
Plus viget hoste suo, plus probitatis habet.
O rex, facta tui retine tibi patris, vt illa
Laus, quam promeruit, sit tribuenda tibi.
Audaces fortuna iuuans consummat in actum
Que sibi vult animus, et pociora dabit.
Pax super omne bonum scandit, set quando probata
Bellum iura petunt, illud oportet agi:
Est tempus belli, sic sunt et tempora pacis,
Actibus in cunctis tu moderamen habe.
Hector, Alexander, fuerant dum nobiliores,
Sistere disparibus non potuere rotis:
Acta patris vince, maiorque vocaberis illo,
Totaque vox clamet laudis honore tue.
Rebus in aduersis ne laxes frena timori,
Si dolor in mente sit, sine teste dole:
Si dolor incurrat animum, similacio vultum
Erigat, et facies contegat inde metum:
Vultus iocundus timor hostibus est et amicis
Gloria, nam facies nuncia mentis erit.

960

979 ne] nil C

970

980

Hic loquitur, quod absque iusticie experta causa rex bellare
non debet. Dicit insuper quod regie congruit dignitati, discreto
tamen prouiso regimine, magis amore quam austertatis rigore
suos subditos tractare.

Cap^m. xiii. Alta petens aquila volat alite celsius omni,
Et regem mundum corde figurat ea.

Vt sacra testantur citharistea scripta prophete,
In celum tales cor posuere suum.

Pennatum Grifhes animal pedibusque quaternis
Invitos homines carpit et horret equos:

990

Designatur in hoc facinus crudele potentum,
Qui mortes hominum cum feritate vorant.
Est igitur melius aquile tibi sumere formam,
Rex, vt amore pio regna quieta regas,
Grifhis quam specie populum terrere pauore,
Semper enim superat acta timoris amor.

Non omnis qui timet amat, set amans timet omnis;
Plebs in amore manens plectit vtrumque simul.

Omnia vincit amor, amor est defensio regis,
Gloria plebis amor, laus et in orbe deo:

1000

Plebs est regis ager, rex cultor qui colit agrum;
Si male, fert tribulos, si bene, grana parit.

Qui bene regis agit regimēn, rex est, set inique
Qui regit in viciis, ipse tirannus erit.

Si rex de predis viuat, malediccio plebis
Murmurat, et regi mota fit ira dei.

Lucratur populum que deum rex iustus vtrumque,
Statque per hoc regni firma corona sui.

Tange tuum pectus, pie rex, quo sumere possis
Regis ad imperium que meliora parant:

1010

Si te nobilitas generosaque nomina tangunt,
In genus exemplum fer magis ipse tuum:

Nomine perspicuo cum sis generosus auorum,
Equipares stirpis moribus acta tuis.

Hoc in honore dei communi voce precamur,
Vt gemines animi nobilitate genus.

Pars sit in aspectu tibi quem deus equiparauit
Natura, precio, condicione pari:

⁹⁸⁷ cytharistes CE citheristea D citheristia L

⁹⁹³ aliquile S

¹⁰⁰¹ agrum] illum C

Disceque cunctorum quod sit communis origo,
Ortus et occasus vnum, et una caro.
Nobilis est mentis quisquis virtute resulget,
Degener est solus cui mala vita placet;
Mores namque bonos veneratur curia celi,
Et celum iustus, non generosus, habet.
Esto memor, quod fratris amor tibi cuncta ministrat,
Datque tibi solus omnia fratris amor:
Fratris amor transit terrena, superna resumptis
Viribus ascendit, astra polumque petit:
Noticiamque dei dum querit, ad astra volare
Non timet, vt videat quis deus ipse Syon,
Quis rex inmensus et que sit visio pacis,
Quis ve locus celi, gloria quanta dei.
Ista decent regem meditari, sit quod in illis
Apcior vt reddat debita iura deo.
Noscere te studeas et amare deum, duo namque
Hec sunt, que tibi, rex, scire necesse iubet.
Hec est condicio sub qua tibi contulit esse
Viuendique modum conditor ipse tuus.

Hic loquitur secundum Salomonis experientiam, quod ceteris
virtutibus ad regni gubernaculum preualet sapiencia, que deo
et hominibus regem magis reddit acceptabilem.

Cap^m. xv. O pie rex iuuenis, iuuenili quid Salomoni
Contigit intende, sis memor vnde tui:
Hic bis sex puer annorum cum sacra dedisset
Dona deo, meruit nocte videre deum:
Quem deus alloquitur, 'Pete quod vis munus,' et inquit
Ille, 'Peto sensum, quo mea regna regam.'
Regia diuino placuerunt verba fauori,
Responsumque deus reddidit istud ei:
'Non plures annos nec opes nec ab hoste triumphos
Quesisti, dentur que petis ergo tibi:
Non solum sapiens, set diues eris super omnes,
Quos habuit mundus, quos vel habere potest.'

O bene si speculo, rex, te speculeris in isto,
Quid magis expediens sit tibi scire potes.
Hiis tamen exemplis patet vt sapiencia regis
Ad regimen plebis est adhibenda prius.

1020

1030

1040

1050

Annus et annus abit, semper sapiencia stabit;
Stans super hanc petram non cadet vla domus.
Res est grata senem iuueniliter esse iocosum,
Gracior est iuuenem moribus esse senem.
Qui gressu morum sequitur quo vult deus, illum
Precedit que suas firmat vbique vias.
Mane precare deum, quod leta dies tibi plaudat,
Vespere, quod tutus tempora noctis agas:
Nam rex qui summo se vult submittere regi,
Optinet in regno cuncta petita suo.

In manibus regum regalia ceptra tenentur,
Vt quasi per virgam cuncta nocua fugat.
O rex, ergo tue tua legi debita solue,
Corporis ac anime quod sit honoris age:
Sume bonos, depelle malos, sis iuris amator,
Sis pius et populum dirige lege tuum:
Set lex vt prosit, accedat gracia legi
Per Cristum, sine quo lex bona nulla datur:
Sit tibi iuris honor, timor excicii, pudor almus,
Simplicitas animi, proximitatis amor.
Rex, ita si sapiens sapias sapienter ad omnes,
Tunc sapiis in Christo regna sapore bono.

1060

1070

Hic loquitur qualiter celi deus, qui est rex regum et dominus
dominancium, a regibus terre pura mente precipue colendus est
et super omnia metuendus.

Cap^m. xvi. O rex, quicquid habes dedit hoc deus, et nichil a te
Est quod habes proprium, vel quod habere potes:
Esse creaturam te nosce dei, nec ab eius
Tu discede viis, si bene stare velis.
Nobile corpus habes et singula membra decora,
Sit virtus animi sic magis illa tibi:
Vt foris est forma tibi splendida, splendeat intra
Mens tua, quod tibi, rex, sit decor ille duplex.
Labile forma bonum, species inimica pudoris
Vtile virtutum sepe retardat iter:
Forma dei munus, forma pars multa superbit,
Non tamen in sanctis stat viciata viris:
Non tibi forma deum set mens sincera meretur,

1080

1073 excidi SEHGDLT excidi (corr.) C

Iusticie soli vita beata datur.
 Non decet in rege quod mens contraria forme
 Sit, set ab interius exteriora regas. 1090

Qui tibi regna tulit, alii quo te venerantur,
 Rex, in honore dei da tua vota deo.
 Qui pius est Cristo, regi nichil ingruit hostis,
 Subdita fortune sors magis immo fauet.
 Si cupis vt timeant hostes tua ceptra, superni
 Ceptra dei timeas, tuque timendus eris:
 Sit tibi celsithronus metuendus ab arce polorum,
 Cuius ad imperium flectitur omne genu. 1100
 Hic ruit, exaltat, infirmat, firmat et orbem,
 Singula fertque sua regia corda manu:
 Hic est rex in quo regnant per secula reges,
 Hic est rex sine quo regna subacta cadunt,
 Hic est rex per quem mors fine suo rapit omnes
 Reges, reddit eos actibus atque suis.

Magnus erat Cesar totoque potencior orbe,
 Nunc quem nec mundus ceperat, verna capit.
 Sic et Alexander fortissimus ille Macedo
 Clauditur angusto, puluis et ossa, loco: 1110
 Maior erat magno mundo, modo nobile corpus
 Exulis et victi vilis arena tegit.
 Ecce diu res nulla manet mortalibus, ecce
 Nullus honor prohibet, gloria nulla mori:
 Non prosunt quicquam preconia vana sepultis,
 Torquent famosos tartara sepe reos.
 O de preteritis, pie rex, memorare futura,
 Et reputa firmum quod sit in orbe nichil:
 Cumque tibi spacium vite conceditur huius,
 Semper ad omne bonum viue paratus opus. 1120
 Subditus esto deo, si tu vis vincere mundum:
 Qui Christo seruit, optima regna regit.

Hic loquitur qualiter rex in caritate dei et proximi viuens,
 contra superuenientem mortem, que nulli parcit regi, omni se
 debet diligencia prouidere.

Cap^m. xvii. Omnes de morte statuit natura timere,

Cap. xvii. *Heading 1 in om. C*

Sub cuius lege terminat omne genus:
 Doctus et indoctus, pauper que potens moriuntur,
 Omnes fine pari mors facit esse pares.
 Vnccio nil valet hic, nichil hic insignia rerum
 Regia, non sanant nec medicamen habent:
 Gloria nulla potest in mundi rebus haberi,
 Nec quo se mundus tunc tueatur habet. 1130
 Disce quod omnis honor oneri coniunctus adheret,
 Est onus in fine maius honore tamen:
 Cum magis excelsus fueris, magis adde timorem,
 Ardua nam preceps gloria vadit iter.
 Est hominis vita quasi milicies reputata,
 Bella super terram nam tria semper agit:
 Rex qui per medium belli transit inermis,
 Sepius incaute stulcior ipse cadit.
 O rex, ergo tibi bene prouideas, quod iturus
 Es, set vbi nescis, alta vel yma petens. 1140
 Omnia leta vale tibi sunt dictura memento,
 Pauperis et regis exitus unus erit;
 Nam nemo per se subsistere, nemo supremum
 Securo poterit claudere fine diem.
 Ut te de mundo moueas, bonus esse viator
 Incipias, Christi te sacra scripta monent:
 Ut fugias hiemem scelerum, te floribus orna
 Morum, virtutum luce choruscus eas.
 Motus ab Egipto veluti tentoria tendis,
 Ad patriam vite dum properare studes. 1150
 Esto memor quod sis factus factoris ymago:
 Cur? vt ei similis iure sequaris eum.
 Expedit ergo tibi, totis vt viribus illum,
 Qui te formauit teque redemit, ames.
 Tanti regis opem, rex, ora, quod tibi vitam
 Supplet et mortem muniat ipse tuam.
 Fac ea que tibi vis, bona vel mala, sic et habebis,
 Te tamen in melius dirigat oro deus.

1142 et SL vt (ut) CEHGD 1148 choruscus SD coruscus E
 coruscus CHT coruscas L 1156 Supplet SEG Supplet CHDL

Hic in fine regis epistolam breuiter concludit, dicens quod, sicut rex ex sue libertatis priuilegio sublimari et inde coram populo dominari magnificus affectabit, ita ad onus sui regiminis cum omni iusticia supportandum coram deo iustum et humilem se presentabit. Non aliter stabit regnum quod rex variabit.

Cap^m. xviii. Regia maiestas veneracion est super omnes,
Dum probus in regno rex regit acta suo. 1160
Ipse deum primo placat, populique secundo
Corda trahit, mundum sic habet ipse bonum:
In terra pacem scrutatur et inuenit illam,
Quo celi regnum possidet ante deum:
Sic magnus mundo viuus, set maior olimpo
Mortuus, in Christo regnat vtroque loco.
Ista bono regi bona de bonitate superni
Adueniunt; aliter non ita stabit iter.
Si rex sit vanus, sit auarus, sitque superbis,
Quo regnum torquet, terra subacta dolet. 1170

The chapter stands as above in SCEHG (over erasure in all except E): the original form is given by DTH₂, and both forms (the original first) by LL₁.

Hic loquitur in fine istius Epistole, vbi pro statu Regis devocius exorat, vt deus ipsius etatem iam floridam in omni prosperitate conseruet, et ad laudem dei suique et sibi commisso plebis vtilitatem feliciter perducat in euum.

Cap^m. xviii*. Rex celi deus et dominus, qui tempora solus
Condidit, et solus condita cuncta regit; 1160*
Qui rerum causas ex se produxit, et vnum
In se principium rebus inesse dedit;
Qui dedit vt stabili motu consistenter orbis
Fixus in eternum mobilitate sua;
Quique potens verbi produxit ad esse creatu,
Quique sue mentis lege ligauit ea;
Ipse meum Iuuensem conseruet supplico Regem,
Quem videant sanum prospera Regna senem;
Ipse iuuentutem regat et producat in euum,
Semper et in melius dirigat acta deus. 1170*

1165* adesse DL

Omnne quod est regi placitum non expedit illi,
Que sibi iura volunt, absque rigore licent:
Mira potest regis pro tempore ferre potestas,
Vana tamen finis comprobat acta satis.
Si positum lance sit onus cum regis honore,
Non honor est tantus sicut habetur onus.
Rex sibi commissas regni componere leges
Debet, et a nullo tollere iura viro:
Nunc tamen in plebe vox est, quod deficiente 1180
Lege dolus iura vendicat esse sua:
Sic bona iusticie fraus compta subintrat, et inde
Inficit occultam lex hodierna fidem.
Quo lex decessit, error sibi regna repressit,
Vnde decet regem ponere iuris opem.
O rex, ergo tui detergas crimina regni,
Et rege discretus que tibi suadet opus:
Perdita restaures communia iura, que leges
Ad regnum reuoca, crimen et omne fuga.

Consilium nullum te tangere possit iniquum,
Rex nec in hac terra proditor esse tua;
Omne malum cedat, ne ledere possit, et omne
Est quod in orbe bonum, det deus esse tuum.
O tibi, Rex, euo detur, fortissime, nostro
Semper honorata cepra tenere manu;
Assit et illa dies, qua tu, pulcherrime Regum,
Quatuor in niveis aureus ibis equis.
Qualis et Augusti nuper preconia Rome
Extiterant laudis sint renouanda tibi. 1180*
Augeat imperium nostri ducis, augeat annos,
Protegat et nostras aucta corona fores:
Stes magis, o pie Rex, domito sublimis in orbe,
Cunctaque sint humeris inferiora tuis.
Que magis eterne sunt laudis summus ab alto
Aurea det dextre fulgida cepra tue:
Qui tibi prima dedit, confirmet Regna futuri,
Vt poteris magno magnus honore frui.

1171* te tangere T detangere DL 1178* aureis D 1180* sunt D
1182* foras D

Si tibi subiectum cupias conuertere regnum,
Te prius in Christo fac revenire deo: 1190
Postque tuum populum stabilem tibi pacificatum
Non vice terroris fac set amore magis.
Corda tue plebis ita dum pacienter habebis,
Nobilis in regno stabis ubique tuo:
Dumque tuas leges mixtas pietate gubernes,
Cuncta tue laudi gesta feruntur ibi.
Si tamen econtra rigidus tua verteris acta,
Vertet se populus qui solet esse tuus.
Hec tibi, rex, scribo pro tempore nunc que futuro;
Semper in ambiguo sors variatur humo. 1200

Quia, prout de communi voce audistis, modernorum
condiciones per vniuersum orbem erroribus ubique
mutantur, nunc de illorum conditionibus qui nos pre-
cesserunt, precipue in ecclesia, que iam diuisa est,
diuersitatem sub exemplis figuratam consequenter
videamus.

Cap^m. xix. Poma cadunt ramis, agitantur ab ilice glandes,
Marcescunt flores, defluit orta seges:

Sic tua processus habeat fortuna perhennes,
Vt recolant laudes secula cuncta tuas. 1190*

Ad decus imperii, Rex, ista tui metra scripsi
Seruus ego Regni promptus honore tibi.
Hec tibi que, pie Rex, humili de corde paraui,
Scripta tue laudi suscipe dona dei:
Non est ista mea tantum doctrina, sed eius
Qui docet, et dociles solus ab ore creat.
O iuuenile decus, laus Regia, flos puerorum,
Vt valor est in te, sic tibi dico vale.

1189 O qui subiectum poteris tibi flectere regnum H O quam subiectum
poteris tibi flectere regnum CE 1190 Si prius in mundo sis pius ipse
deo C

Cap. xix. *Heading* Hic recapitulat quodammodo sub figuris et exemplis
tam veteris quam noui testamenti, in quibus pretendit quod eorum loco
qui in omni sanctitate legem dei et fidem Christi primitus augmentantes
Ecclesiam colebant, et a diu mortui sunt, iam resurgunt alii precipue de
Clero, qui illam omni viciorū multitudine suffocantes corrumpunt DLTHs
(but multitudinem for multitudine)

1189* perennes D

Proles granifera desistit reddere grana,
Irrita thura deo templa geruntque modo:
Qui color albus erat, nunc est contrarius albo,
Pallet et hec gemma que renitente solet.
Nunc est quod Babilon super vrbes nobilitatur,
Nec manus est fidei talis vt obstet ei;
Ecclesieque nouis virtus iacet obruta sompnis,
Et Synagoga quasi fit modo sponsa dei. 1210
Nunc iustos veteres constat nec habere sequaces,
Omnes set morti preteriere boni:
Sique mali fuerant tunc temporis, ecce reviunt,
Dummodo consimilis mos sit in orbe malis.

Decidit in mortem Noë iustus, surgit et ille
Nembrot in arce Babel, spernit et ipse deum:
Mortuus estque Iaphet, operit patris ipse pudenda,
Set modo deridens Cham patefecit ea.

Mortuus est Abraham fidei primordia querens, 1220
Belus adest, que deos fabricat ipse nouos.

Mortuus est Ysaac, oritur genus vnde beatum,
Set modo degenerans Hismael obstat ei:

Mortuus estque Ioseph, erat ille, pudicus, et Oza
Nunc sequitur carnem luxus amore suam.

Mortuus est Moyses veteri de lege refulgens,
Transgrediens Abiron viuit in orbe tamen.

Quem deus elegit Aron mors morte subegit,
Fomes et inuidie dat thimama Chore.

Mortuus est curru celum qui scandit Helias,
Infera qui meruit viuit et ipse Dathan.

Micheas moritur, viuit nec in orbe secundus,
Qui modo veridicus audet obesse malis;

Nam Sedechias super omnes esse prophetas
Vendicat, et cuncti nunc famulantur ei.

1208 *Text SCEHG* Subditur ecce sibi vrbsque beata dei DTHs Both
forms given in LLs 1210 fit modo sponsa dei SCEHGL perugil
obstat ei DTHs 1216 Nembrot CED 1219 primordia querens
SCGL scrutator et ecce EHDTs 1220 *Text SCGL* qui dīs dat
thimama suis EHDTs (que E) 1221 cui rite deus benedixit EHDTs
1222 Nunc maledictus enim viuit et ipse Caym EHDTs 1223 f. et alter
Qui facit econtra regna moderna regit EHDTs et alter Nunc sequitur
carnem nilque pudoris habet LLs 1225 Mortuus estque docens Moyses
EHDTs (decens D) 1226 Ac Abiron murmur cum grauitate datur
EHDTs 1230 Infera descendens EHDLTHs

Est nec Heliseus, Naaman neque fit modo sanus,
Vult tamen en Giesi sumere dona sibi.

Euolat ex archa modo nec redit ipsa columba,
Cuius enim coruus iam regit ipse vices.
Sic capit exempla nullus de lege vetusta,
Quo testamentum defluit ecce nouum.

Dic vbi sunt illi qui nuper in ordine Cristi
Rebus et exemplis dogmata sancta dabant.

Mortuus est Petrus, stat Liberius modo, cuius
Custodit portas Simon in arte Magus.

Nuper conuersum de Saulo sencio Paulum,
Saulum de Paulo nuncque redire scio.

Gregorii scripta verbis seruanda iubemus,
Nostris set factis ipsa neganda damus.

Martini legimus donum, set diuinitis aures
Nos surdas gerimus, quo bona nulla damus.

Dic vbi defunctis alter sit in orbe Thobias,
Dic vbi vel pietas corda moderna mouet.

Aduero paciens, conuerso tempore mitis,
Iob fuit, et stabili mente remansit idem :

Nunc tamen econtra de prosperitate superbit
Omnis, et aduerso tempore murmur agit.

Ordinis instructor nunc mortuus est Benedictus,
Set Julianus adhuc viuit et obstat ei.

Fallit sal terre, non est in quo salietur,
Fetet ob hoc anima crimine carnis olens.

Non moritur granum, manet in se set modo solum,
Occupat et terram cardo que vastat eam :

Non manet in vite modo palmes, sic neque fructus
Fert ea, set sterilis sicca cremanda iacet.

Lux perit a Phebo stellarum lumine verso,
Et sinit eclipsim subdita luna suam.

Nunc nouus est Arius, nouus est quasi Iouinianus ;
Dum plantant heresim, dant dubitare fidem :

Ecce diem noctem dicunt, tenebras quoque lucem,
Iniustum rectum ; sic perit omne bonum.

Hic tractat quod, sicut virtuosis nuper in ecclesia existentibus succedunt viciosi, sic et mundi proceribus omnis milicie

1251 defunctus DT

1240

1250

1260

1270

nuper de probitate famosis succedunt modo alii, qui neque diuine neque humane laudis digni efficiuntur.

Capit. xx. Legis diuine si cultores abidere,
Sic proceres mundi nunc abidere probi.

Mortuus est iustus Troianus, et ecce tirannus

Iusta statuta modo deprimit ipse Nero :

Conditor et legum nunc Iustinianus abiuit,
Set Dionisius has dampnat habere suas.

Mortuus est castus probus atque Valentinianus,
Tarquinus ceptri iam regit acta sui.

Largus Alexander moritur rex nuper opimus,
Et modo successit Cresus avarus ei.

Mortuus ille pius est Constantinus, et ecce Antonius solio iam sedet ipse suo.

Ecclesie cultor Theodosius ipse recessit,
Successitque Leo, soluere vult et eam :

Insultor fidei Constancius acta prophanat,
Tiberisque modo deperit alma fides.

Mortuus est Iulius, qui regna subegit in armis,
Et Romam statuit omnibus esse caput.

Mortuus est Hanibal, per quem Cartago vigebat,
Iam neque Cartago, set neque Roma viget.

Hector, in ense suo qui nuper erat metuendus,
Nunc magis est Heleno bella timente pauens :

Corruit Eacides, pro quo surrexit inermis
Tersites, que suus indiget ensis ope.

Mortuus est sapiens Salomon Roboasque reviuit,
Quo superant iuuenes prouida dicta senum.

Distat amor Ionathe que Dauid modo dissociatus,
Ex odioque furit invidus ipse Saül :

Consultit hic eciam modo Phitonem mulierem,
Dumque dei vacuum gracia linquit eum.

Nunc induratum persistit cor Pharaonis ;
Sentit amara dei, nec timet inde deum :

Sic redit in vulnus nullo medicante cicatrix,
Que prius et tenuit sors mala, peior habet.

Consilium prauum nunc creditur Achitofellis,
Consultit et Cusay, quis neque credit ei :

Inuidiaque Ioab inmunem iam necat Abner,
Nec sibi cum rege quem sinit esse parem.

1280

1290

1300

Qui fuerat iudex Cato iustus ab vrbe recessit,
Pilatusque loco iudicat ecce suo.
Nunc occisus Abel iustus fratris perit ense,
Approbatis hoc licitum lex tamen esse modum :
Nunc Mardocheum suspensum cerno, set Aman
Eripitur Jaqueo, lex sinit ista modo.
Nunc iterum Cristus sine culpa fit crucifixus,
Et Barabas latro liber abibit eo.
Sic cadit et stratum ius nescit noscere iustum,
Nec virtus animi iam regit acta viri.

Hic loquitur adhuc viterius super eodem, qualiter loco eorum
qui nuper casti fuerunt et constantes, surrexerunt modo alli,
qui huius seculi vanitatem concupiscentes pudoris constanciam
penitus amiserunt.

Cap^m. xxi. Mortuus est via Socrates virtute restringens,
Dispensare quibus nunc Epicurus adest :
Vana relinquendo nunc mortuus est Dyogenes,
Vanus et hunc mundum nunc Arisippus habet.
Mortuus est corpus castigans virgo Phirinus,
Mechus et Agladius viuit in vrbe nouus.
Mortuus est Troilus constanter amore fidelis,
Iamque Iasonis amor nescit habere fidem :
Solo contenta moritur nunc fida Medea,
Fictaque Crisiaida gaudet amare duos.
Estuat in lumbis incasta Semiramis, et nunc
Vix si Cassandra casta manere queat :
Mortua Penelope, sic est Lucrecia Rome,
Et regnant Circes atque Calipsa pares.
Ammodo Iustina, luxus que spreuit iniquos,
Transiit, et Thaisis fit resupina magis.
Nunc amor est Paridis communis in orbe quietus,
Vt sine nunc bello quisque fruatur eo.
Non Hymeneus in hiis conseruat pacta diebus,
Set Venus in thalamis reddit agenda suis :
Aurum sponsatur, vultuque decora paratur

¹³¹² esse] ecce CE ¹³¹³ Mardocheum S (corr.) CED Madocheum

HGLT

Cap. xxi. Heading : adhuc om. CE

¹³³⁴ Taysis CE

Ad thalamum Veneris pluribus apta viris.
Mutua cura duos et amor socialis habebat
Nuper, et vna tamen nunc sibi quinque trahit :
Vt duo sint carne simul vna lex dedit olim,
Ad minus inque tribus nunc manet ordo nouus.
Nunc iubet ipsa Venus et habet sua castra Cupido,
Castus et ad presens tempus abiuit amor.
Ales habet quod amet; cum quo sua gaudia iungat,
Invenit in media femina piscis aqua :
Cerua parem sequitur, serpens serpente tenetur :
Femina virque thoro sunt magis vna caro.

Heus, vbi pacta fides? vbi connubialia iura?
Responsis careo, que ferat alter homo.
Ferreia frons laus est, nescit que signa pudoris,
Et pudor a vicio desinit esse pudor :
Quam solet inque genis ornare rubor muliebris,
Absque pudore malo plus furtit ipsa viro.
Graculus ipsa quasi tacet, et quasi casta columba
Se gerit, et paciens est tibi spina rosans :
Vt laticem cribro, sic in muliere recondo
Consilium, set eo scire potes quod amo.
Dum Iesabel regnat blando sermone pervngens,
Qui fuerat Iosue, vertitur hic in Achab.
Dum caput inclinat viciis, sibi subdita membra
Succumbunt ipsis vi vel amore malis :
Comptaque sic viciis stat florigerata voluptas,
Est quoque virtutis flos pede trita viris.

Postquam de singulis gradibus, per quos tam in spiritualibus quam in temporalibus error vbique diffunditur, tractatum hactenus existit, iam secundum quorundam opinionem tractare intendit de pedibus statue, quam Nabugodonosor viderat in sompnis, quorum videlicet pedum quedam pars ferrea, quedam fictilis, in figura deterioracionis huius mundi extiterat, in quam nos ad presens tempus, quod est quodammodo in fine seculi, euidencius devenimus. Et primo ferri significacionem declarabit.

Incipit liber Septimus.

Cap^m. i. Quod solet antiquis nuper latitare figuris,
Possumus ex nostris verificare malis:
Quod veteres fusca sompni timuere sub umbra,
Iam monstrat casus perugil ecce nouus.
Nunc caput a statua Nabugod prescinditur auri,
Fictilis et ferri stant duo iamque pedes:
Nobilis a mundo nunc desinit aurea proles,
Pauperies ferri nascitur atque sibi.
Non modo magnanimi volat inclita fama per orbem,
Cuius honor mundo congruit atque deo:
Non modo pauperibus spergit sua munera largus,
Nec fouet in mensa vix modo diues eos:
Vix pietate modo nudos quis vestit egenos,
Nec capit hospicio quos scit egere vagos.
Non manet obtrusis qui carcere vult misereri,
Sana nec infirmos que iuuat vlla manus:
Inter discordes antiquum fedus amoris
Non est ad presens qui reparare venit.
Nunc tamen esse duas specialius estimo causas.
Ex quibus hic mundus desinit esse bonus.
Harum luxuria reperitur in ordine prima,
Ex qua torpor hebes nascitur atque quies.
Sic causatur ea miles modo tardus ad arma,
Quem mulier thalamis mulcet amore suis;

9 magnanimi CEHDL magnatum S

Et clauduntur ea cleri communiter ora,
Quod nequit ipse modo psallere vota deo.
Concilium Balaam nos vicit per mulieres,
Vnde deo moto plebs sua quassa perit.
Altera set causa nunc temporis astatuara,
Que fouet invidiam semper in orbe nouam.
Hec predat, pugnat, occidit iuraque falsat,
Quod nequit a bello pax reuenire suo:
Exterius domini tractant bona pacis auari,
Set tamen interius stant sibi bella prius.
Dum poterit guerra plus pace recondere lucra,
Nescit auaricia pacis amare bona:
Nec sinit invidia tua te michi ferre quieta,
Lacrima namque mea ridet in aure tua.
Nil tibi si populus plangat sua dampna subactus,
Dum commune malum dat tibi ferre lucrum.

Sic et auaricia procerum se subdere corda
Dicit, et hii dicunt subdere iura volunt:
Sic honor ingenuus descessit victus ab auro,
Ad loca iusticie nec revenire studet:
Sic patet ydropicus nummorum gustus auari;
Dum bibit, inde sitis appetit ipsa magis:
Sic census non diues habet, set habetur ab ipsis,
Sic dominus seruo seruit et ipse suo:
Sic viget ipse foris diues, tamen intus egenus;
Sic habet ipse nichil, dum nichil omne putat.
Saxeа duricies mentisque liquefcere nescit,
Nec pietatis ope soluitur inde gelu:
Pauperis in lacrimis deridet, vultque labore
Pauperis oppressi ferre quieta sibi.
Sic etenim nummis animus sepelitur auari;
Hos habet ipse deos, nec scit habere deum.

Hic loquitur contra istos auaros omni ferro in hoc precipue
tempore duriores, quorum diuicie, nisi participantur, nullius, vt
dicit, possunt esse valoris.

Cap^m. ii. Heu! quid opes opibus cumulat qui propria querit,
Cum se nemo queat appropriare sibi?

27 Consilium CEHDL 43 descessit SHG descessit L decessit CED
**** T

VOX CLAMANTIS

Nil possessus habet, quia quisquis habetur habere
Nulla potest; se non possidet, ergo nichil.
Seruit habens habitis, nec habet set habetur, auarum
Census habet, domino predominantur opes.
Cum nequeas tuus esse, tuum nichil est; suus esse
Nemo potest, igitur est nichil hoc quod habes.
Si quis enim dominum rerum sibi subdit, et ipsa
Res serui domini dicitur esse sui:
Euictio seruo sequitur possessio seruum,
Et cedunt domino seruus et eius opes:
Adquirit domino, nil adquirit sibi seruus;
Quicquid habet, dominum constat habere suum.
Seruus auaricie sibi non dominatur, abutens
Arbitrio proprio proprietate caret.
Cum proprium nichil esse scias, est danda facultas,
Queque retenta nocent, particulata iuuant.
Nullus enim poterit veraciter esse beatus,
Qui sua cum socio participare nequit.
Qui dare nulla potest, satis ipsum constat egere;
Cum desit cui det, diues egenus erit;
Diues in hoc quod habet, set semper egenus in illo,
Quod non sit cum quo participabit opes.
Si tibi sit rerum possessio larga, nec vilus
Sit tua cui dones, copia nulla tibi:
Si tibi sit facies, sit honor, sit forma, sit alta
Mens tibi, si tamen hoc nesciat alter, eges.
Dispensa quod habes, vt consultis vsus, ad vsrum,
Non ad auaricie pabula confer opes:
Da nudis, da pauperibus de pinguibus vti;
Pingit amiciciam commoditatis amor.
Cum bona cuncta regas, vel ad esum sunt vel ad vsrum;
Velle tuum rebus vtere sicut habes.
Instat auaricia set tanta modo, quod ad aures
Diuitis est nichilum quod mea scripta ferunt.
Non modo magnatos tantum fore constat auaros,
Hos set vulgares nouimus esse reos.
Vt gallina suum granis iecur implet habundum,
De minimis magnum sumit et ipsa cibum,

65

70

80

90

LIBER SEPTIMUS

Striccius hic nummos imbursat et auget auarus,
Nil sibi tam modicum, quin dat habere lucrum.
Iniungit proprio talis ieunia ventri,
Vt pariat loculus fercula plura suus.
Ferreus ille tenax sua seruat corde tenaci
Propria, quod nullus participabit eis;
Perdidit et cordis clauem, qua vult pietatis
Officium claudi, ne deus intret ibi.
Sic nequit ipse suis sibi sumere gaudia questis;
Omnia dumque tenet, nec sibi quicquid habet.
Pectora sic ferri gestant homines quasi cuncti,
Dum caput a statua decidit ecce sua.
Aurea que fuerant iam ferrea tempora constant;
Ferrea condicio sic manet inque viro:
Aureus atque modus probitatis, quem coluerunt
Patres, nunc cupido deperit ecce modo.
Plus cupiens miser est, non qui minus optinet; immo
Qui sibi contentus est, habet ipse satis.
Diuitis autem diuicias non dampno, set illas
Approbo, si dentur quando requirit opus:
Non quia diues habet nummos, culpabitur, immo
Se quia nec fratres non iuuat inde suos.
Si sibi larga manus foret, vnde pararet egenti
Partem, tunc laude mammona digna foret:
Se tamen vnde iuuet alios vel, diues in orbe
Vix hodie viuit, qui sibi seruat opes.
Sermo, 'Tene quod habes,' qui scribitur Apocalipsi,
Iam sua completi iura vigoris habet:
Iam noua sunt silicis circum precordia vene,
Et rigidum ferri semina pectus habet.
Pauperis ex clamore sonos non percipit, immo
Diues in auditu fingitur esse lapis.
Tempus erit quo tu, qui nunc excludis egentes,
Ibis in extrema pauper egendo loca.
Ad ferrum, secla, iam vos venistis ab auro,
Et magis est vile, nobile quicquid erat:
Posterior partes superatque cupidio priores,
Nec scit honor solium, quod solet esse suum.

100

110

120

130

Hic loquitur de statue secunda parte pedum, que fictilis et
fragilis erat, et de eiusdem partis significacione.

Cap^m. iii. Ultima per terras superest modo fictilis etas,
Vnde pedes statue dant michi signa fore.
Non cieius figuli fragilis nam fictilis olla
Rupta fit in testas, dum lapis angit eas,
Quin plus condicio fragilis temptata virorum
Rupta iacet vicii de grauitate sui. 140
Fictilis est laicus, set fictilius modo clerus
Eius in exemplis causat agenda malis:
Sic sacra scripta caro conscribitur vndique mundo,
Littera quod Cristi nulla videtur ibi.
Qui iubet vt carnem vincamus, cernere victimum
Possumus, et doctum spernere dogma suum.
Clerus habet voce sibi nomen spirituale,
Spiritus in carnem vertitur ipse tamen:
Carnis enim vicia sunt sic communiter acta,
Quod de continuis vix pudet vsus eis. 150
Fit quasi nunc mulier hominis dominus que magister,
Vir fit et ancilla subdita, prona, pia:
Debilis in fortem ruit et recordia vincit,
Qui foret et sapiens, fictilis ipse cadit.
Preuia dum clerus Veneris vexilla subibit,
Iam Venus a tota gente tributa petit.
Gallica peccata, nuper quibus hii ceciderunt,
Clamat iam nostras intitulare domos:
Nunc licet alterius sponsam quod quisque frequentet
Est status ingenui, dicitur illud amor. 160
Non erit hoc laicis vicium set gracia magna,
Dum sit adulterio magnificatus homo,
Dummodo sponsa stuprum perquirit adultera donis:
Soluet ob hoc sponsus, qui luet illud opus.
Sic se nunc homines vendunt, quasi sint meretrices,
Prospera dum Veneris larga sit illa manus:
Sic sub mendaci specie grossantur amoris,
Perque nephas tale lucra pudenda petunt.
Set qui de clero sponsam promotus adoptat,

160 Est S Et CEHDL

crassantur CEG

161 grossantur S grassantur HDLT

Plura dabit Veneri, sit quod adulter ibi:
Pauper enim frater capit hic quod ibi dabit, et sic
Aut dans aut capiens proficit ille magis.

In causa fragili sic causat fictilis etas,
Quo nunc de facili frangitur omnis homo.

Ficta set ypocrisis fraudes celare latentes
Temptat, et occulto turpia plura facit:

Sic viget in facie facti palloris honore,
Macrior vt vultus sordida facta tegat:

Set neque iusticia maxillas mentis adornat,
Immo placens mundo fert maledicta deo.

Sic vrtica rose faciem furatur, et auri
Sub specie plumbum dat latitare dolum:

Sic latet iniustum sub iusto, sic maledictum
Sub sancto, que scelus sub recolente fidem:

Virtutum clamidem foris induit, interiorem
Contegat vt culpam, ne quis abhorret eam.

Sic foris apparet rutilans albedo, set intus
Omnis spurcie tecta nigredo latet:

Sic quasi vox pacis odium blanditur ad aures,
Os dat amicicias mensque timenda minas;

Sicque columbinis stat pennis coruus amictus,
Turturis et falco fingit habere modum:

Sic animus Sathane gerit aspectum Gabrielis,
Est caput ancille, cauda set anguis erit:

Sic mellita bona visu tibi monstrat aperta,
Que si gustabis, sunt tibi mirra magis.

Disce quod ypocrisis est demonis archa, reclusum
Sub qua peccati continet omne nephias.

Non acus abscondi valet in sacco, set ad extra
Feruidus ex stimulo quod videatur agit;

Nec latet ypocrisis ita quod non se manifestat,
Et sua quod virtus non viciata patet;

Hocque sui vicium vicii vult pandere glosam,
Dum furit impaciens, ira reuelat eum:

¹⁸³ dolum SCGDL suum EHT ¹⁸⁴ scelus] dolus EH ¹⁸⁷ ru-
tilans albedo set SCGDL albus paries tamen EHT

^{189f.} Sic foris ex auro tumulus splendescit, et intro-
Fetet putredo, vermis esca caro. EHT

DL have both this couplet and that in the text ¹⁹² falco SCGDL
ninus EHT

Mendacisque diu pietatis fallitur vmbra,
 Tam cito, cum grauius quid sibi ferre velis.
 Sic lupus agnelli tectus sub vellere dentes
 Nudat, et infecta pandit opera mala:
 Sub vicii taxa sic virtus victa laborat,
 Liber et a seruo nil modo iuris habet. 210
 Ad placitum viciis laxantur frena pudoris,
 Vt tollant gratam moribus ire viam.
 Sic ego concludo breuiter, virtus quod vbique
 Subiacet, et vicium scanna priora tenet:
 Omnis et econtra fallit modo regula versa,
 Sunt et in orbe nouo cuncta referta dolo.

Hic loquitur adhuc vterius de miseriis que in pedum statue
 diuersitate nouissimis iam temporibus eueniendis figurabantur:
 dicit enim quod ea que nuper condicionis humane virtuosa
 fuerant, in suum modo contrarium singula diuertuntur.

Capⁿ. iii. Res fit amara modo dulcis, fit dulcis amara,
 Fedaque fit pulcra, deficit ordo quia:
 Fit scola nunc heresis, fiunt peccataque mores,
 Fit dolus ingenium, raptaque preda lucrum: 220
 Fit sacer ordo vagus, fingens ypocrita sanctus,
 Magniloquus sapiens, stultus et ipse silens:
 Confessor mollis peccator fit residuum,
 Verba satis sancta, facta set ipsa mala.
 Custodit vulpis modo pullos et lupus agnos,
 Perdices nisus lignaque sicca focus.
 Doctores via mendacia suntque prophete;
 Fabula ficta placet, litera sacra nichil:
 Dispicet expediens doctrina, set illa voluptas
 Dictorum Veneris gaudet in aure satis. 230
 Nunc amor est luxus, et adulterium modo nubit,
 Et iubet incestus iura pudica michi:
 In vulgum clerus conuertitur, et modo vulgus
 In forma cleri disputat acta dei.
 Sunt serui domini, sunt et domini modo serui;
 Qui nichil et didicit, omnia scire putat:
 Rusticus ingenui se moribus assimilari
 Fingit, et in veste dat sua signa fore;

218 pulchra C

237 ingenii H (corr.) Ingenuum L

assimulari CE

Isteque se miserum transfert gentilis in illum,
 Vultque sui vicii rusticitate frui. 240
 Sic modus est pompa, probitas iactancia, risus
 Scurrilitas, ludus vanus et absque deo.
 Nunc fautor scelerum specialis habetur, et obstans
 Alterius viciis est inimicus ei:
 Nunc magis est carus vir blandus in aure pernvens,
 Et duplex lingua rethor habetur ea.
 Nunc puer impubes sapiencior est Citherone
 Regis in aspectu, plusque Catone placet:
 Blandicieque sue nunc gestant premia lingue,
 Quas mundi proceres magnificare vides. 250

Absit honor cunctis nisi lingue, que velut Eccho
 Auribus in regis consona verba sonat.
 Quod culpas culpat, quod laudas laudat et ipse,
 Quod dicis dicit, quod colis ipse colit.
 Rides, arridet: fles, flebit: semper et equas
 Imponet leges vultibus ipse tuis.
 Premia iudicium Philemonis nulla meretur,
 Dum tamen hoc verum sit quod ab ore refert.
 Quem prius infantem texit pastoria pellis,
 Iam subito blanda sindone verba tegunt. 260
 Curia nulla suum veterem conseruat honorem,
 Vrbs neque iusticiam, terra nec vila fidem.
 Sunt magis arma forum quam nobilitas, quibus ille
 Garcia sutoris nunc galeatus adest:
 Fuluus iam talus nimis est communis, eoque
 Non honor est armis vt solet esse prius:
 Namque superbus inops, dum non habet vnde superbe
 Se regat, ex predis viuit vbique suis.

Debilis regni surgit, vires requiescant,
 Sic paleas multas granaque pauca vides:
 Corda latent leporum, panduntur et ora leonum,
 Aurea nunc verba plumbeus actus habet.
 Nuncque solent homines consumere larga loquendo
 Tempora, sermoni deficiente die;
 Et bona, que regnum concernunt, vtiliora
 Discordes animo posteriora sinunt.

256 ipse SL

ille CEHD

269 Ordinary paragr. in CDL, no paragr. E

Factis de nostris hodie conuertitur in cras,
Dicuntur facta que peragenda manent.
Nunc aliena sibi vult regna superbia subdi,
Que vix in proprio stat semituta solo. 280
Bella tonat valide thalamis audacia lingue,
Vecors set campis non mouet illa manus:
Sub facie guerre nos multant vndique taxe,
Vniusque lucro milia dampna scio.
Libertas solita nuper modo fertur auara,
Et magis ingrata condicione grauat:
Omnia pre manibus promittit premia seruis,
Nec memoratur eo, cum bene fecit homo.
Nil vetus exemplo nunc regula sufficit, immo
Acta loco iuris ammodo velle reget. 290

Est modo fel mellis, et liuor amoris ad instar;
Quod patet exterius, hoc nichil intus habet.
Vox leuis illa Iacob, Esau manus hispida nuper
Fallebant, set ob hoc signa futura dabant:
Quicquid verba ferunt modo nam bonitatis ad aures,
Cum probat illud opus actus, iniqua gerit.
Cessit iusticia cessitque fides sociata,
Fraus, dolus atque suum iam subiere locum.
Nunc socii luctus socio velut organa plaudunt;
Vnus si presit, invidet alter ei. 300
Ex dampno fratris frater sua commoda querit,
Et soror ad laudem raro sororis agit:
Filius in matre iam sentit habere nouercam,
Sentit et hec nati plurima facta doli:
Filia maternos actus detractat, et ipsa
Mater iam natam spernit et odit eam.
Filius ante diem patrios iam spectat in annos,
Nec videt ex oculis ceca cupido suis:
Sit licet ipse parens, natis minus impius ipse
Non est, nec cordis viscera suplet eis: 310
Nullus amor parcit cuiquam quem ledere possit;
Quod voluere duo, tercius esse negat.
Plebs sine iure manet, non est qui iura tuetur,
Non est qui dicat, 'Iura tenere decet.'
Viuitur ex rapto, vix hospes ab hospite tutus,

291 Ordinary paragr. CEDL

280

300

310

Nec sacer a genero, dum vacat ipse lucro.
Tempore nunq̄ plures odio remanente salutant,
Tempus et ad vomitum ruminat ira suum:
Facta mouent odium, facies exorat amorem,
Oscula pretendit os, manus atque ferit. 320
Pectoribus mores tot sunt quot in orbe figure,
Nec longum stabile quid bonitatis habent:
Vtque leues Protheus sese tenuauit in vndas,
Nunc leo, nunc arbor, nunc erat hircus, aper,
Sic modus ad presens hominum mutabilis extat,
Nec scio quo possum firmus adire gradum.
Vacca sit an taurus non est cognoscere promptum,
Pars prior appareat, posteriora latent:
Sic prima facie non est cognoscere verbum;
Qui nichil occultat, pondera finis habet. 330
Dum fueris felix, plures numerantur amici,
Aspera si fuerint tempora, solus eris:
Vt lepus in variis fugiens se munit in aruis,
Errat et in nulla sede moratur amor.
Tempore creuit amor antiquo, set resolutus
Vix ultra quo nunc progrediatur habet:
Illud amicicie quandam venerabile nomen
Cessit, et in questu pro meretrice sedet.
Orbis honorifici periunt exempla prioris,
Et nichil est de quo iam sit habenda fides. 340
Nunc amor est solus, nec sentit habere secundum,
Stans odioque tibi diligit ipse tua.
Sic est quod non est lepus et leporarius vnum;
Nescio quod video, sum neque cecus ego.
Est odium commune modo, set amor quasi fenix
Per loca deserta solus in orbe latet.
Est nocuum ferrum ferroque nocencius aurum,
Cuius nunc bello sternitur omnis homo.
Quid modo, cumque manus mentitur dextra sinistre,
Dicam, numquid homo credet id ipse sibi? 350
Omnibus in causis, vbi commoda sunt ve voluptas,
Nunc modus est que fides non habuisse fidem:
Sicque pedum statue duplex variata figura
Quam varios hominum signat in orbe dolos.

350 credit CEHGDL credit S

Vnde dampna fluunt, quod in isto tempore liber
Nescio pacificis quo fruar ipse viis.
Expers invide paupertas sola manebit,
Quam supplantare nullus in orbe studet.
O miser et felix pauper, qui liber vbique
Cum requie mentis absque pauore manes! 360
'O mundus, mundus,' dicunt, 'O ve tibi, mundus,
Qui magis atque magis deteriora paris!'
Quid sibi sit mundus igitur, que forma vel eius,
Que vel condicio, singula scire volo.

Quia vnumquisque ad presens de mundi fallacibus conqueritur,
intendit hic de statu et condicione mundi, necnon et de miseria
condicione humana, tractare consequenter.

Cap^m. v. Mundus enim sibi dat nomen, set mundus haberi
Ex inmundiciis de ratione nequit:
Sordibus est plenus, viciorum germe plenus,
Plenus peccatis, plenus vbique dolis.
Tempora mutantur mutantur condiciones,
Mutanturque status, nec manet ordo diu. 370
Discite quam prope sit et quam vicina ruina,
Talis enim nullum que reuelamen habet:
Discite quam nichil est quicquid peritura voluptas
Possidet et false vendicat esse suum.
Vita quid est presens? temptacio, pugna molesta;
Hic acies semper, semper et hostis adest:
Fur opibus, guerra paci, morbusque saluti
Inuidet, et corpus nostra senecta premit:
Sicque perit placite paulatim gracia forme,
Nullaque de multis que placuere manent. 380
Nam gustata minus sapiunt, vix sentit odores,
Vix quoque clamosos percipit aure sonos:
Caligant oculi, de toto sola supersunt
Vix cutis et neruis ossa ligata suis.
Estates odit, hyemes et frigora culpat,
Nec querulo possunt villa placere seni:
Frigore nunc nimio, nimio nunc leditur estu,
Et stabili numquam permanet ille statu.
Dens dolet aut ceruix, aut forsan lingua ligatur,
Splen tumet, egrotat pulmo, laborat epar; 390

Cor marcat, renes paciuntur, soluitur alius,
Brachia vix possunt, languida crura dolent.
Longius in curis viciatum corpus amaris
Non patitur vires langor habere suas:
Singula non paucis pars est obnoxia morbis,
Et patet infelix ad mala totus homo;
Ingratusque suis morbis confectus et annis,
Conqueritur vite tempora longa sue. 400
Omnis enim virtus, qua gaudet corpus inane,
Desinit et vario pressa dolore perit.
Es sapiens? marcat sapiencia morte. Redundas
Diuiciis? lapsu mobiliore fluunt.
Es probus? expirat probitas. Es honestus? honestas
Labitur. Es fortis? forcia morte iacent.
Set cum te viciis victim succumbere cernis,
Miro te fortem dicis et esse putas.
Bella libido mouet; primos tu cedis ad ictus,
Et tua das fedo colla premenda iugo:
Sic et auaricie seruis, sic motibus ire,
Sic facis ardantis iussa pudenda gule. 410
Sic vbicumque tuam faciem cum mente revolvas,
Corporis et mundi singula vana scies.
Si corpus penses, ex omni parte videbis
Naturam fragilem, que remanere nequit:
Si mundum penses, ex omni parte volutum
Rebus in incertis fraude videbis eum.
Excussas aliquis deplorat grandine vites,
Iste mari magno deperiisse rates: 420
Iustum luxuries illumque superbia vastat,
Hunc et tristicie sua procella quatit.
Et sic de variis mundus variatur, et ipsum
Quem prius exaltat forcius ipse ruit:
Labilis ille locus satis est, et more fluentis
Et refluxus aque fluminis instar habet.
Si cui blanditur, fallit, nec creditur illi;
Eius quo doleas gaudia semper habent.
Rebus in humanis semper quid deficit, et sic
Ista nichil plenum fertile vita tenet.
Quam prius in finem mundi deuenerit huius,

409 seruus CE

Nulla potest certo munere vita frui.
 Si te nobilium prouexit sanguis auorum,
 Hinc est quod doleas, degenerare potes:
 Prospera si dederit tibi sors, et sorte recedunt;
 Si mala succedunt, deteriora time.
 Si tibi persuadet vxorem fama pudicam,
 Hinc eciam doleas, fallere queque solet:
 Hic gemit incestum corrupte coniugis, alter
 Delusus falsa suspicione timet:
 In quam suspirant multorum vota timebis
 Perdere, vel soli ne sit habenda tibi; 430
 Sic illam metuis ne quis corrumpat adulter,
 Et pariat quorum non eris ipse pater.
 Si tamen illorum succrescit turba bonorum,
 Hinc iterum doleas, mors tibi tollit eos:
 Si tibi diuicie modicam famulantur ad horam,
 Has, vt plus doleas, auferet vna dies.
 Tempora si viridis promittit longa iuuentus,
 Fallit, et vt doleas Attropos occat eam.
 Si tibi perspicue pollet sapiencia mentis,
 Vt merito doleas, in Salomone vide. 450
 Si facies niuea rubicundo sparsa colore
 Splendeat, hinc doleas, curua senecta venit.
 Non habet hic requiem tua mens, set et intus et extra
 Prelia cum multis irrequieta geris.
 Dum potes, amissum tempus suple, quia Cristus
 Heu nimium tardo tempore dampnat opus.
 Ultima qui vite peiora prioribus egit,
 Si perdat, caueat, qui malus emptor erat.
 Discat homo iuuenis, celeri pede labitur etas,
 Nec bona tam sequitur quam bona prima fuit: 460
 Non que preterit iterum revocabitur vnda,
 Nec que preterit hora redire potest:
 Stare putas, et eo procedunt tempora tarde,
 Et peragit lentis passibus annus iter.
 Ancipitrem metuens pennis trepidantibus ales
 Audet ad humanos fessa venire sinus;
 O vetus in vicis, Sathanas quem spectat in ymis,
 Quid fugis, et pro quo non venis ipse deo?
 Ecce senilis yemps tremulo venit horrida passu,

430

440

450

460

Pulcher et etatis flos iuuenilis abit:
 Labitur occulte fallitque volatilis etas,
 Et celer annorum cursus vt vmbra fugit.
 Hec quoque nec perstant que nos elementa vocamus,
 Immo gerunt varias diuarcata vices:
 Corpora vertuntur, nec quod fuimus ve sumus nos
 Cras erimus, set idem se neque tempus habet:
 Nil equidem durare potest forma sub eadem,
 Mutari subito quin magis omne liquet.
 Cerne, fretum quod erat, nunc est solidissima tellus,
 Quod fuit et tellus, iam maris vnda tegit: 470
 Nunc fluit, interdum suppressis fluctibus aret
 Fons, nec et ipse statu permanet ecce suo.
 Conteritur ferrum, silices tenuantur ab vsu:
 Numquid homo fragilis rumpitur ipse magis?
 Qui nunc sub Phebo ducibusque palacia fulgent,
 Nuper araturis pascua bobus erant:
 Nuper erant rura, quo nunc sunt castra, que culti
 Quo nunc sunt campi, castra fuere prius:
 Frondibus ornabant que nunc capitolia gemmis,
 Pascebantque suas ipse senator oves.
 Et si regna loquar hominum, scimus quia nullum
 Principis imperium perstat in orbe diu. 490
 Hec que preterit tempus dedit, illa futurum
 Post dabit, estque nouus nullus in orbe status.
 Dicere quis poterit, 'Ego persto quietus in orbe?'
 Et quis non causas mille doloris habet?
 Quo se vertit homo, dolor aut metus incutit ipsum;
 Excipitur nullus qui sit in orbe gradus.
 O quantos regum paciuntur corda tumultus,
 Quamque procellosis motibus ipsa fremunt!
 Inter regales epulas variosque paratus
 Tabescunt vario sollicitata metu:
 Mille satellitibus cinctus telisque suorum
 Non valet e trepido pelleré corde metus.
 Sic inmundia suis de fraudibus omnia mundus
 Polluit, et nullo tempore munda facit:
 Iste per antifrasim nomen sibi vendicat vnum,
 Quo nullo pacto participare potest.

470 estatis C (ras.)

490 Pascebantque S

480

500

Hic loquitur de principio creacionis humanae. Declarat etiam qualiter mundus ad usum hominis, et homo ad cultum dei creatus extitit; ita quod, si homo deum suum debite non colat, mundus que sua sunt homini debita officia vterius reddere non teneatur.

Cap^m. vi. O si vera loquar, quicquid sibi mundus iniquum
Gestat, homo solus est magis inde reus. 510
Scripta docent Genesis, primo cum conditor orbem
Fecerat, hec dicens ipse creavit Adam:
'Nos faciamus,' ait, 'hominem, qui nos imitari
Possit; et ut nobis seruiat atque colat,
Inspiremus ei sensum racionis, amorem,
Vim discretiuam, quid sit et unde venit:
Inspiremus ei factoris cognitionem,
Vnde creatorem noscat ametque suum,
Quis suus est auctor, quis ei dedit esse vel unde:
Mundus eum sequitur et famulatur ei. 520
Sonus rimetur mentis secreta superne,
Et perscrutetur singula solus homo:
Singula scrutetur, set quod sibi postulat vsus,
Vtile vel credat, quod ve necesse putet.
O sublime decus, honor eximus, decor altus,
Ut sit homo terra tectus ymago dei!
Ut sit ad exemplum factoris fabrica facta,
Resque creatori consimilata suo! 530
Cetera queque deus solo sermone creavit,
Hoc formauit opus apposuitque manum.
Terrula suscipitur, formatur massa pusilla,
Fit corpus solidum, quod fuit ante solum:
Ossa medullata neruis compegit in unum,
Firmauit gressus compositque gradum:
Hiis super induxit venas set sanguine plenas,
Carnes vestiuit pellibus atque pilis:
Visceribus plenis fudit spiracula vite,
Ex quibus officiis singula membra vacant:
Os loquitur, manus exercet, pes currit, et aures
Ascutant, oculus sidera solus habet. 540
Viuitur homo, surgit factura biformis,

535 set] et CEL

Stat caro, statque comes spiritus, unus homo.
Hec caro que carnis sunt sentit, spiritus alta
Sidera spirat et sua iura petit.

Stat formatus homo, miratur seque suosque
Gestus, et nescit quid sit et ad quid homo:
Corporis officium miratur, membra moueri,
Artificesque manus articulosque pedum.
Artus distendit, dissoluit brachia, palmis
Corporis attractat singula membra sui:
In se quid cernit sese miratur, et ipsam
Quam gerit effigiem non videt esse suam:
Miratur faciem terre variasque figuram,
Et quia non nouit nomina, nescit eas.
Erexit vultus, os sublimauit in altum,
Se rapit ad superos, spiritus unde fuit:
Miratur celi speciem formamque rotundam,
Sidereo motus stelliferasque domos:
Stat nouus attonitus hospes secumque revoluit,
Quid sibi que cernit corpora tanta velint. 550
Noticiamque tamen illi natura ministrat;
Quod sit homo, quod sunt ista creata videt:
Quod sit ad humanos vsus hic conditus orbis,
Quod sit ei proprius mundus, et ipse dei.
Ardet in auctoris illius sensus amorem,
Iamque recognouit quid sit amare deum.

560

570

Hic loquitur quod, ex quo creator omnium deus singulas
huius mundi delicias usui subdidit humano, dignum est quod,
sicut homo deliciis secundum corpus fruatur, ita secundum
spiritum deo creatori suo gratum obsequium cum graciarum
actione toto corde repandat.

Cap^m. vii. Dic, Adam, dic, Eua parens, dic unus et alter,
Dic tibi si desit gracia plena dei.
Cuncta tuis pedibus subiecit, ovesque bouesque,
Et volucres celi pisciculosque maris: 570
En, elementa tibi, sol, aer, sidera, tellus,
Diuitis vnda maris, cetera queque fauent.
Auctor enim rerum sic res decreuit, ut orbis
Queque creatura consequeretur eum;

562 sunt] sint CE

Vt seruiret ei factura, suumque vicissim
Factorem solum consequeretur homo.
Erige sublime caput et circumspice mundum,
Collige cuncta, sue dant tibi queque manus :
Omnia subiecta tibi sunt, tibi cuncta ministrant,
Omnia respondent obsequiumque parant. 580
Qui tibi tanta tulit, qui pro te tanta peregit,
Qui pro te mundum duxit ad esse suum,
Qui dedit ex nichilo tantarum semina rerum,
Confusumque chaos ordine stare suo,
Sortes distribuens per partes quatuor equas,
Iratos motus temperat arte sua :
Sidere depingens celum, septemque planetas,
Et si nitantur, ad sua puncta vocans,
Signifer accessu solis signis duodenis
Tempora per totidem dat variare vices.

Qui totum mundum, postquam decreuerat illum,
Ornauit vario multiplicique bono,
Esse feras siluis, in montibus esse leones,
In planis pecudes, rupibus esse capras.
Pluma tegit volucres et oves sua lana decorat,
Inque tuos vsus est tamen hoc quod habent.
Respice delicias mundi, quas flumina dotes,
Quas tibi donat opes diuitis vnda maris ;
Arboribusque sitis, herbis, radicibus ortos,
Floribus et foliis fructiferisque bonis. 600
Pre cunctis recolat tua mens, quem te quoque fecit,
Et de quam nichilo traxit ad esse bonum ;
Nam tuus illius est spiritus, et tuus eius
Est sensus, racio de ratione sua.

Te caput esse dedit rerum, rebusque locatis
Nomina te cunctis queque vocare dedit :
Qui tibi spem prolis dedit in mulieris amore,
Consortemque parem coniugiique fidem.
Te sibi pene parem fecit, te pene secundum,
Dicere si possem, prestitit esse deum : 610
Contulit in celum sese, tibi tradidit orbem,
Et mundi tecum dimidiauit opes.
Celum sole tibi, sol lumine seruit, et aer

599 sitis] satis D 611 tradidit] contulit CE

580

590

600

610

Flatibus, vnda cibis, terraque mille bonis.
Set quod es vnde tibi ? quod habes quis prebet ? Vtrumque
Sponte facit pietas dulcis et ampla dei :
Qui tibi te tribuens sese promisit, eoque
Non habuit melius quod daret ipse deus.

Nonne superbire quemcumque virum decet ergo
Contra mandata que dedit ipse deus ? 620
Celum deiecit set et odit terra superbum,
Sonus et inferni fit locus aptus ei.
Hoc etenim vicio tactum fuit et viciatum,
Quod genitor primus protulit, omne genus :
In radice fuit omnis viciata propago,
Quo mundum quicquam mundus habere nequit.
Non fuit in mundo qui mundum mundificaret,
Nec quod in hoc venie posset habere locum :
Set pietate prius qui condidit omnia solus,
Ille reformauit et reparauit opus.
Accepit serui formam seruosque redemit,
Demonis et quod erat fecerat esse dei :
Hunc igitur superest deuota mente sequareis,
Vtque tuum dominum confitearis eum ;
Preceptumque leue, vetitum non tangere crimen,
Si toto sequeris corde, beatus eris.

630

Hic tractat qualiter homo dicitur minor mundus; ita quod
secundum hoc quod homo bene vel male agit, mundus bonus vel
malus per consequens existit.

Cap^m. viii. O pietas domini, qualisque potencia, quanta
Gracia, que tantum fecerat esse virum !
Vir sapit angelicis cum cetibus, vnde supremum
Esse creatorem noscit in orbe deum : 640
Sentit et audit homo, gustat, videt, ambulat, vnde
Nature speciem fert animalis homo :
Cum tamen arboribus homo crescit, et optinet esse
In lapidum forma proprietate sua :
Sic minor est mundus homo, qui fert singula solus,
Soli solus homo dat sacra vota deo.
Est homo qui mundus de iure suo sibi mundum
Subdit, et in melius dirigit inde status :
Si tamen inmundus est, que sunt singula mundi

U

Ledit, et in peius omne refundit opus : 650
 Vt vult ipse suum proprio regit ordine mundum,
 Si bonus ipse, bonum, si malus ipse, malum.
 Qui minor est mundus, fert mundo maxima dampna,
 Ex inmundiciis si cadat ipse reus :
 Qui minor est mundus, si non inmunda recidat,
 Cuncta suo mundi crimine lesa grauat :
 Qui minor est mundus homo, si colat omnipotentem,
 Rebus in humanis singula munda parit :
 Qui minor est mundus, si iura dei meditetur,
 Grande sibi regnum possidet ipse poli. 660
 Conuenit ergo satis, humili quod corde rependat
 Digna creatori dona creatus homo :
 Restat vt ipse sui factoris querat amorem,
 Restat vt ipse sciat quid sit et vnde venit :
 Restat vt agnoscat, quo nominis ordine solus
 Pre cunctis mundus dicitur esse minor.
 Si minor est mundus, quo mundi machina constat
 Ordine si querat, est meminisse sui :
 Si minor est mundus, que sunt primordia mundi
 Si meditetur, agit vnde sit et quid homo : 670
 Si se nesciret, nec eum cognosceret, a quo
 Vel per quem factus est, nec amaret eum.
 Et tamen est illi substancia facta biformis,
 Quo compegit eum, spiritus atque caro ;
 Vt deseruiret factori spiritus eius,
 Et mundus carni spirituque caro.
 Est ancilla caro fragilis, cuius dominatrix
 Desuper est anima de ratione dei ;
 Nunc tamen a mundo caro victa negat rationem,
 Linquit et hec anime iura subire sue. 680
 Sic seruit dominans, sic regula fallit, et extra
 Deuiat illa deo, que foret intus homo.
 Stulcior o stulto, commutans celica mundo,
 Postponens aurum queris habere lutum.
 Cur dominus rerum, quare deitatis ymago
 Parua cupis? Cupias maxima magnus homo.
 Orbis terrarum tuus est, et quicquid ab illo
 Clauditur, arbitrio subditur omne tuo :
 684 queris SGL mavis (mavis) CEHD

Nempe parens rerum celo dimissus ab alto
 Ad tua descendens est tibi factus homo. 690
 Noli te regno peccati subdere, noli
 Que cicius fugiunt ista caduca sequi :
 Set satagas humiles animo transcendere terras,
 Desuper in celis arripe fortis iter.
 Tu si magna petis, deus est super omnia magnus,
 Si bona, quam bonus est dicere nemo potest.
 Nil genus aut sexus tibi, nil vel comptus inanis
 Mortis ad excessus utilitatis habent.
 Quid penetrasse iuuat studiis archana Platonem,
 Natureque suos composuisse libros ? 700
 Solis iter celiique plaga luneque meatus,
 Et vaga vel summo sidera fixa polo,
 Multaque preter ea satis ardua nouerat ; et nunc
 Philosophus cinis est, nomen inane perit.
 Dum res et rerum causas vestigat Ypocras,
 Dum medicinali corpora seruat ope,
 Talis eum poterat sapientia nulla mederi,
 Quin medico mortis lex subienda foret.
 Sic patet, est hominis natura potentior arte,
 Et ruit in mortem quos sua causa petit.
 Est tibi nil melius igitur, quam prouidus illam
 Prospicias mortem, que tibi finis erit.
 Semper iturus ades, accedis ad ultima vite,
 Nec scis quo fine, quando vel illud erit :
 Celo longa via, restantque dies tibi pauci ;
 Tardat iter mundi qui sibi sumit onus.

Hic loquitur qualiter homo, qui minor mundus dicitur, a mundo secundum corpus in mortem transibit, et sicut ipse corporis sui peccato huius mundi corrupcionis, dum vivit, causat euentum, ita in corpore mortuo postea putredinis subire corrupcionem cogetur. Et primo dicit de mortui corporis corrupcione secundum Superbiam.

Capa. ix. O tibi quid dices, cum non mouet aura capillos,
 Arent et fauces, nec via vocis inest,
 Et color in vultu sine sanguine, lumina mestis

691 regno peccato EHL Regni peccato D 707 cum CEHDH,
 enim SGLT

Sunt inmota genis osque madere nequit,
Atque per interius cum duro lingua palato
Congelat, et pulsus vena mouere negat,
Nec flecti ceruix nec brachia plectere quicquid
Possunt, nec passus pes valet ire suos?
Quid modo respondet homo mortuus ille superbus?
Dicat nunc quid ei gloria vana dabit.
Eius enim, nuper alios qui despiciebat,
Corporis exanimi iam perit omnis honor:
Et quia se corpus dudum tollebat in altum,
Vermibus esca modo subditur ipsa caro.
Non modo palpebra quasi dignando leuatur,
Nec manus in longum planat vtrumque latus:
Quas vires habuit mortalis vis superauit,
Est musce spina forcior ecce sua.
Si decor aut species nuper florebat in illo,
Eius turpido iam fugat omne pecus:
Si fuerat sapiens, modo differt a sapiente,
Est sibi conclusum quo nichil ipse sapit:
Que magis in studio pecuit subtilia longo,
Mors ea dissoluit de breuitate cito.
Artibus in variis fuerat licet ipse peritus,
Iam cecidit prudens artis in arte sua:
Desinit ingenii racio sine iam ratione,
Mors ruit in vacuum que racionis erant:
Littera quem docuit magis est indoctus asello,
Pectore nec remanet iota vel unus apex.
Non sibi mentalis presumpcio iudicat villos,
Se neque iactare mortua causa sinit:
Qui solet ypocrisi ficte virtutis honorem
Tollere, nunc monstrat quid fuit ipse palam.
Nil sibi quod genera linguarum nouerat olim
Confert, qui muto mortuus ore silet:
Organa nulla sibi nota vel citharista plaudunt,
Quo perit auditus, musica nulla placet.
Nil valet ingenuas corpus coluisse per artes,
Qui modo nature perdidit omne decus:
Nil vestis pompa, nichil aut ascensus equorum,
Corpus iam rigidum magnificare queunt.

721 perinterius GLT

720

730

740

750

Nil sibi pulcra domus aut seruicum famulorum;
Nunc foris in populo nemo salutat eum:
Nunc serpens famulus puteusque vocabitur aula,
Nuncque loco thalami tetra cauerna datur.
Sic quia nuper eum fallebat gloria vana,
Nunc sibi nil remanet unde superbus erit.

760

Hic loquitur de corporis mortui corrucione secundum Invidiam.

Cap^{ta}. x. Ecce per invidiam qui roserat ore canino,
Iam canis aut vermis rodere debet eum.
Alterius famam spernens que leserset olim,
Ammodo corrupta lingua dolosa tacet:
Alterius dampna risit, quoque prospera fleuit,
Nunc ridere nequit ore carente labris,
Murmure cor plenum nuper modo fit putrefactum,
Et via iam rupta cordis ad yma patet:
Iam nequit ambicio socii postponere laudem,
Nec preferre suam, qui sine laude iacet.
Tunc fel sub melle condens nunc conditur ipse,
Quo sine mente caro nil similare potest:
Amplius invidie mens ignea plena veneno
Liuoris stimulo pungere quosque nequit.

770

Hic loquitur de corporis mortui corrucione secundum Iram.

Cap^{ta}. xi. Feruida viuentem quem nuper torruit ira,
Amplius impaciens non mouet ille caput:
Lite sua dudum qui vicinos agitabat,
Mutus ad interitum non habet ipse sonum:
Nuper linguosus nequit amplius esse susurro;
Mors vocat, ipse tacet, nilque refatur ei.
Qui terrere solet inopem terrore minarum,
Contra vermiculum iam valet ipse nichil:
Non suus ad bellum furor ammodo prouocat ipsum,
Qui neque cum verme federa pacis habet:
Eius enim gladius iam non erit ecce timendus,
Qui patitur vermem cor lacerare suum:
Corporis ex odio non inficiet racionem,
Ammodo vitali qui racione caret.

780

790

767 spernens famam C famam serpens L

Hic loquitur de corporis mortui corrupcione secundum
Auariciam.

Cap^m. xii. O quid auaricia nuper modo prestat auaro?
Sola sibi stricta lignea cista manet.
Terra sibi fuerat nimio quesita labore,
Septem nuncque pedes, non magis, inde tenet.
Qui dudum fuerat raptor predans aliena,
Ipsum nunc predam mors quasi predo rapit:
Qui nuper fatuis tendit sua recia lucris,
Nunc capitur rethe quo remouere nequit.
800 Diuicias multas vniuit et arcus illas
Seruabat, set nunc dissipat alter opes:
Que quasi fine carens fuerat possessio larga,
Transit et subito nulla remansit ei.
Gaudet enim coniux sponsi nouitate secundi,
Nec sibi cor meminens anterioris habet;
Immemor et patris letatur filius heres,
Nec sibi qui moritur vnum amicus adest.
Sic qui res rebus agros et agris sociauit,
Ammodo de questis fert nichil ipse suis:
810 Abstulit vna dies quicquid sibi contulit annus,
Et labor a longo tempore cassus abit:
Pauperibus bursam qui clauaserat, indiget ille,
Nec valet argenti copia tota sibi.
Nil dolus aut furtum, nil circumvencio corpus,
Iam neque periura falsa cupido iuuat.

Hic loquitur de corporis mortui corrupcione secundum
Accidiam.

Cap^m. xiii. Amplius accidia sibi qui fuit accidiosus
Corporis ad placitum membra fouere negat.
Deditus hic sompno nuper nunc sompnit habunde,
De longo sompno quo vigilare nequit:
820 Mollia qui dudum quesuit stramina lecto,
Anguibus aspersa frigida terra subest:
Ocia qui peciit nuper fugiendo labores,
Nunc nichil est quod agat, vnde meretur opem.

816 iuuat S iuuant EGDLTHs

Cap. xiii. Heading 1 mortui corporis CH

Si didicisse bonum potuisset, iam scola nulla
Reddit eum doctum, quo magis ipse sapit
Quid sit de rerum dampno: valet ipse dierum
Perdita iam flere tempora longa nimis.
Nuper in ecclesia rogitauit raro, set inde
830 Iam nequit auferri, nil tamen ipse rogat.
Semina qui parce spersit, parce metet ipse;
Quod nuper potuit, vult modo, quando nequit.

Hic loquitur de corporis mortui corrupcione secundum
Gulam.

Cap^m. xiii. Nil gula, que dudum fuerat sibi cotidiana,
Amplius in ventre, set nec in ore placet:
Viscera que pressa fuerant grauitate ciborum,
Euacuata modo nil retinere queunt.
Gustauit species et dulcia vina bibebat,
Horum suntque loco stercora mixta luto:
Eius in vmbiculo, sua quo pinguedo latebat,
Iam latitat serpens, qui sua crassa vorat:
840 Olla sui ventris, que parturit ebrietatem,
Rumpitur, et bufo gutturus antra tenet.
Esca sibi dudum redolens nichil ammodo confert,
Occupat en nares feda putredo suas:
Crapula, que nuper ieunia nulla subiuit,
Iam rupto stomacho sentit in ore nichil.

Hic loquitur de corporis mortui corrupcione secundum
Luxuriam.

Cap^m. xv. O qui luxurie vicium tam dulce putabat,
Iam sugget serpens membra pudenda sua.
Amplius incaste non circuit ille lupanar,
Nec manus in tactu feda placere valet:
850 Non valet ex oculis vultu similare procaci,
Prouocet vt fatuam, quo magis ipsa fauet.
Cantica composita Veneris sermone dolosa
Cum iuramentis ammodo nulla iuuant;
Est sibi nil cantus, nichil aut peditare coreis,
Nam sibi guttur abest, pes neque substat ei.

843 redolens dudum CEHD

Non facit incestum, neque virginitatis honorem
Mortuus in carne iam violare potest:
Est modo putredo quicquid fuit ante voluptas,
Et calor in coitu frigiditate gelat. 860
Sic quod erat dudum corpus, nunc ecce cadauer;
Et reddit in cinerem quod fuit ante cinis.

Ex quo tractauit qualiter variis peccati deliciis humanum
corpus mortis putredine in hoc mundo consumitur, interrogat
vterius de homine peccatore, quomodo mundi voluptates tam
fallibiles in sui preludicium ita ardenter sibi appetit et
conspirat.

Cap^m. xvi. O michi responde, fert quid tibi pompa, superbe,
Cum teret in terra membra putredo tua?
Dic tibi, tu serico, gemmis vestitus et auro,
Quid cum mors veniat gloria vana dabit?
Quid victor gaudes? hec te victoria linquet,
Sit nisi quod vici vincere bella queas.
Quid tibi liuor aget, vrentis filius Ethne,
Cum mors cor que labra soluerit ipsa tua? 870
Quid tibi siue furor aut ira valere putatur,
Cumque furore mali mors furiit ipsa tibi?
Tempora siue tua tibi quid dant accidiosa,
Cum mors sit perstans absque quiete nocens?
Quid tibi delicie poterunt conferre gulose,
Cum morsus mortis fine perhennis eris?
Quid ve putas Venus ipsa dabit tibi fine laboris,
Cum calor in membris desinit esse tuis?
Aurea quid prodest tibi, diues, pompa monete?
Ultimus in terram finis vtrumque vorat: 880
Que tibi sollicitus longeius contulit annus,
Cuncta simul rapiet hora repente breuis.
Quid reges vincis, quid subdis regna, tiranne?
Est deus invictus, qui tibi bella parat.
Quid tibi fama volans, honor, aut quid comptus inanis?
Omnis enim mundi gloria vana perit.
Occupat extrema stultorum gaudia luctus,
Et risum lacrima plena dolore madet.
Corporis in forma, quid vel de stirpe superbis,
Qui cinis in cineres vermisbus esca redis? 890

Quid tibi si fortis poteris superare leones,
Numquid te poterit inquietare pulex?
Quid nisi stulticiam tibi fert sapientia mundi?
Ergo nichil sapiens quod sapit absque deo.
Est tibi de limo formatum corpus inane,
Pronaque natura carnis ad omne malum;
Incipit in luctu finitque dolore: quid ergo
Queris ut hic tale glorificetur opus?
Cum nichil ex mundo sit corpore glorificatum,
Est tibi nil corpus glorificare tuum. 900
Nil tibi plus remanet aut corporis aut tibi rerum,
Sola nisi merita, sint bona siue mala:
Cum venit illa dies, que nil nisi corporis huius
Ius habet, inueniet tunc homo facta sua.
Non hic iure locum valet vilus habere manentem,
Mortis ad incertas transiet immo vias.

Hic loquitur qualiter omnia mundi huius sicut vestimentum
veterascunt, et quasi sompnifera in ictu oculi clauduntur:
loquitur eciā in speciali de mortis memoria et eiusdem
nominis significacione.

Cap^m. xvii. Omnia quam cicius oculi clauduntur in ictu,
Et quasi per sompnum preterit omnis homo:
Gaudia perpetuos pariunt mundana dolores
Tollit et eternum viuere vita breuis. 910
Omnia que possunt amitti nulla videntur,
Nec longum quicquid desinit esse reor.
Dic quid honor, quid opes, quid gloria, quid ve iuuentus,
Forma, genus, vires, femina, vestis, ager,
Gemma vel argentum, quid septrum, regna vel aurum,
Purpura, quid latus fundus et ampla domus,
Magna potencia, multa sciencia, vana voluptas,
Vita quid, et nostri corporis ipsa salus.
Quod caro mortalis tanquam vestis veterascit
Et celeri lapsu curua senecta venit, 920
Quod nostre semper minuuntur tempora vite,
Quodque dies hominis fumus et umbra fugit,
Quod sit vita breuis, quod mors incerta, quod omni
Tempore nos queuis causa molesta premit,

903 nisi] sibi C 918 et] est S 921 nostre D nostri SCEHGL

Alterutrum poterunt homines exemplificari;
Res etenim tales experimenta docent.
Rex est quisque sui, bene qui regit acta, beatus;
Qui regit acta male, seruus ineptus erit:
Rex appellaris: quid inani nomine gaudes,
Qui viciis pulsus seruus vbique iaces? 930
Cur viciis seruit qui regnis imperat, et non
Mancipium vile corporis esse pudet?
Dum viciis sordes, nil prodest fulgida vestis,
Absterget maculas purpura nulla tuas.
Expediens igitur foret, vt sic quisque viator
Quam leuius poterit exoneratus eat.
Singula de nobis anni predantur eentes,
Morsque superveniens prospera queque rapit: 940
Regreditur cinis in cinerem, resolutio carnis
Monstrat principii materiale lutum.
Scit deus hoc anime quod fiet in orbe futuro,
Integra seu lesa, quanta que qualis erit:
Ista sciunt homines, mundo quod corpus in isto
Nil sibi perdurans vtile carnis habet.
Est caro corrupta viuens, plus mortua cunctis
Atque creaturis vile cadauer habet.

O speculum mortis! quotquot speculantur in illo,
Si bene se videant, gloria nulla patet:
Aduerse mortis sic ordo retrogradus extat,
Quod statuit caudas ad caput esse pares. 950
A morsu vetito mors dicitur; omnia mordens
Nominis exponit significata sui.
Rebus in incertis nihil est incercius hora
Mortis, morte nichil cercius esse potest.
Dum minus esse putat, hominem mors fallit, et ipse
Qui magis est sanus clanculo celat eam:
Non erit astrologus, medicus seu, de medicina
Qui prolongatum possit habere diem.
Sic homo, sic animal pariter moriuntur, et ambo
In terram redeunt condicione pari. 960
Est nichil exceptum: quicquid fit in orbe creatum,
Sicut habet vitam, constat habere necem.
Clam veniens thalamis mors furtiuis volat alis,

931 imparat C 961 fit S sit CEHGDL

930

940

950

960

Subuertens subito quod fuit ante retro:
Predat opes, vires nichilat, disiungit amicos,
Auro nec redimi quomodocumque potest:
Tollit agenda viris, reddit tamen actibus ipsos,
Compotus vt fiat iudicis ante pedes.
Ille quidem Iudex, qui singula iudicat eque, 970
Munera quem mundi flctere nulla queunt:
Iudicioque suo capiet vir digna laboris
Premia pro meritis absque fauore suis.

Hic loquitur quod, quamvis iustis et iniustis vnuus sit
naturaliter interitus, mors tamen iusti omnes exsolvens
miserias eius spiritum glorie reddit sempiterne.

Cap^a. xviii. Iustus et iniustus per mortem transit vterque,
Terraque sorte pari corpus vtrumque vorat:
Disparilis meriti restat tamen exitus horum,
Est nam leta bonis mors et amara malis.
Est igitur felix homo qui viuens bene fecit,
Quo moriens poterit sumere dona dei;
Dona quidem celi, quo gaudia cuncta resurgent,
Quo sine tristitia vita perhennis erit. 980
Mors aberit, morbus, labor, hostis, curua senectus,
Non habet hec felix illa superna domus:
Spiritibus summis equabit gracia regis,
Pro quibus est vltro passus amara crucis.

Hic est ille locus pacis que potentis honoris,
Quo tenebre nulle, quo sine nocte dies;
Quo deus absterget lacrimam luctumque, nec illuc
Amplius aut clamor aut dolor vllus erit:
Nec mors nec morbus, sitis, esuries nec egestas,
Set neque casus habet hunc habitare locum. 990
Lux ibi continua, pax iugis, gloria perpetua,
Vita beata, salus vera, perhennis amor:
Est ibi spes que fides, bonitas, laus, gracia, virtus,
Sensus, amor, pietas, gloria, forma, decus.
Est sine sorde caro iuuenilis, et absque senecta
Etas, diuicie sunt sine labe dolii:
Est pax absque metu, honor omnis et absque superbo;
Absque labore quies, absque dolore salus.

997 et oms. S

Consummata manent ibi gaudia, passio nulla
 Est et ibi, set habet omne quod optat homo :
 Vita perhennis ibi viget, et patet illa beata,
 Que super omne valet, visio clara dei.
 Vis tibi describam paucis quid sit locus ille?
 Plus est quam quiuis dicere possit homo :
 Plus est quam possit mentis ratione doceri,
 Vel plus quam cordis cella tenere queat.
 Quam felix locus est, quam digna laude colendus,
 In quo convenient gaudia cuncta simul !
 Sic, quia non finit ibi gloria, non ego possum
 Finem condigne ponere laudis ei.
 Hic erit angelici cetus, quam perdidit olim,
 Suppleto numero gloria plena suo :
 Hic erit humano generi laus summa, resumpto
 Corpore cum fuerit glorificata caro :
 Hic erit in domino cunctis gaudere per eum,
 Omnia cum fuerit omnibus ipse deus :
 Et sic mors iusti tollit sibi cuncta nocua
 Corporis, ac anime celica regna parat.
 Cum moritur iustus, tunc viuens incipit esse ;
 Hec mors vitalis, que moriendo iuuat ;
 Hec mors non oneri set plus conductit honori,
 Possidet in requiem mortuus vnde deum.

Hic loquitur de duplice morte peccatoris, vna ex qua corpus
 hic resolutur, alia ex qua digno dei iudicio penis perpetuis
 anima cruciatur.

Cap^m. xix. Heu! nimis infelix qui se viuens male gessit,
 Quo grauis in morte pena vorabit eum :
 Mors etenim duplex homini debetur iniquo ;
 Est mors prima grauis, altera feda magis.
 Prima necans corpus de mundo segregat illud,
 Nec valet vterius quid sibi ferre malis ;
 Altera set grauior animam deducit ad yma,
 Reddit et hanc Sathan, que solet esse dei :
 Ponit in ambiguum que sit mundana voluptas,
 Et fore dat certum pena quod omnis adest,
 Pena quidem baratri, dolor omnis quo vegetabit,

Cap. xix. Heading 1 dupli CEGL dupli SHT duplice D

Quo semper moritur, nec valet ipse mori.
 Non vox vlla valet miseras edicere penas,
 Quorum tormenta languida fine carent :
 Hinc timor atque tremor, labor et dolor inde sequetur,
 Perpetue pene mors furit absque mori :
 Iugi morte mori, seu iugi viuere morte,
 Nil differt dicas, viuere siue mori.
 Heu! mortem repeto tocians, quia nil nisi mortis
 Effigiem miseris inferet ille locus,
 Ille locus quem dira fames, quem frigus et ardor,
 Quem tenebre, quem nox, noctis et vmbra tegit.
 Vermis ibi mentes corredit, et ignis ab estu
 Corpora consumet, pena timenda nimis :
 Tortor ibi, qui semper habet torquere nec vnguam
 Deficit, tortum torrida pena teret.
 Quicquid erat placitum carni subuertitur omne,
 Quod fuit et dulce torquet amara lues :
 Quod fuerat pulcrum fedat turpissima forma,
 Quod fuerat sanum, pena resoluit opus :
 Quod fuerat forte tunc viribus expoliatur ;
 Est sapiens stultus, est ibi diues inops :
 Quod fuerat luxus prius, est ibi vermis et ignis,
 Fit, gula que fuerat, insaciata fames.
 Sunt tenebre visus pungens et scorpio tactus,
 Gressus et in laqueos mortis habebit iter :
 Aures torquentur strepitu fetoreque nares,
 Et que sunt pene gustus amara sapit :
 Est ibi flens oculus, dens stridens, omneque membrum
 Soluitur in luctum, quo sine fine dolet.
 Quod fuerat vita mors est, quod corpus eratque
 Ut fax comburens semper in igne coquit.
 Heu, set ymago dei nuper tam pura creata
 Illa dolens anima demonis instar habet.
 Non Thetis extinguit ibi fulmina, set neque morsus
 Vipereos medici compta medela iuuat :
 Stans ibi continuus dolor est vt parturientis,
 Tempora nec venie spectat habere locus.
 Perpetuum pene tormentum nemo gehenne
 Mente capit, set ibi stat dolor absque pari :

1067 Tethis D'

Cor de mente tremit, de corde caro, quod in ista
Scribere materia plus nequit egra manus.

Quo vultu, vel qua facie, vel quo comitatu
Tunc apparebit iudicialis apex?

Terribilis vultus, facies quasi sit furibundi,
Horridus aspectus aspera queque minans:
Iudicis ille furor breuis, ira set absque remissa
Pena, nil venie nil pietatis habens.

Mater et angelicus cetus, necnon duodenus 1080

Iudicium faciens ordo sequetur eum:
Angelus hic et homo pariter tormenta subibunt,
Penam pro meritis soluet vterque suis;
Efficientque pares pene, quos nuper iniquus
Peccandi pariles efficiebat amor.

Distinguetur ibi malus et bonus, ille sinistram,
Ille tenens dextram, iudiciumque ferent.

O, quam tristis erit miseris sentencia danda,
Perpetue mortis perditione mori.

Hec erit illa dies domini, qua luce patebunt
Clarius occulta, que modo clausa latent:
Hec erit illa dies ire, lux illa tremenda,
Qua non subsistet angelus absque metu.
Cum vix si iustus puncto saluandus in illo,
Impie, quo fugies? quae fuga? Nulla quidem.
Est igitur mentis prudentis, mentis honeste,
Mentis discrete tale timere malum.

O nimium felix, tales euadere clades
Qui valet, et meriti viuere laude sui!

O nimium felix, o secla per omnia felix,
O preservatus, o que beatus homo,
Qui poterit mortis tantas euadere penas,
Celica cumque deo gaudia ferre suo!
Nunc igitur sedeat sapiens et computet actus,
Quam prius adueniat iudicis illa dies.

Postquam de gaudiis et penis que bonis et malis debentur
tractauit, consulti viterius quod unusquisque ad bonos mores se
conuertat, et de hiis que negligenter omisit, absque desperacione
contritus indulgenciam a deo confidenter imploret.

1095 si SGL sit CEHD

Cap^m. xx. Cumque repentinum casum breuis hora minatur,
Dum tenuem flatum suscitat aura leuis,
Care, memento tui, quis sis, cur, vnde vel ad quid,
Vel cuius factus condicionis eras;

1110

Quod caro sit fragilis, fallax facilisque moueri,
Prona sit ad peius, pessima prompta sequi.
Spiritus hunc mundum spernat speretque futura,
Semper in auctoris fixus amore sui:

1120

Quod caro spiritui subdatur eumque sequatur,
Spiritus auctori seruiat ipse suo;
Quod motus carnis moderetur, commemoranda
Est mors et pena mortis habenda malis.
Non poterit melius hominis caro viua domari,
Quam quod mente gerat mortua qualis erit.
Fletibus assiduis, est dum data gracia flendi,
Penitusse iuuat estque salubre satis:
Nec deus ethereus hec crimina vendicat vlli,
Que confessa dolens non residua facit.

1130

Qui reus est igitur homo, penam temporis huius
Sustineat, donec diluat omne malum;
Vt sic purgatus, cum iudex venerit, illam
Effugiat penam, que sine fine manet:
Nam qui iussa dei non seruat et ultima vite
Spectat, ad infernum cogitur ille trahi.
Scripture fallunt, aut certe noscere debes
Quod reddit ad veniam vix animalis homo;
Victus enim vicio vicii fit seruus, et in se
Non habet admissum soluere posse iugum:
Ergo perpes ei debetur pena necesse,
Qui sibi peccandi velle perhenne facit.

1140

Parcere nempe deo proprium tamen et misereri est,
Vnde, licet sero, te reuocare stude.
Figmentum nostrum nouit, set et ipse medetur
Tandem contritum, qui petit eius opem.
Non te desperes, pius est deus, immo deumque
Qui negat esse pius, denegat esse deum:
Hic quasi fons viuus patet omnibus, et vacuari
Vt fons nescit aquis, hic pietate nequit.
Set quia spem nimiam presumptio sepe fatigat,

1145 1107 Cumque ST Dumque CEHGD

Tu tibi spem pone sicut oportet agi :
 Vt sapiens speres, tibi sit tua spes moderanda,
 Eius habent sancto frena timore regi.
 Non timor excedat, quo desperacio mentem
 Polluat, immo deum mentis amore time :
 Nec spes presumat, set amet commixta timore,
 Sic timor est virtus spes et vterque salus.
 Set meditando tamen tua mens de fine remorsa,
 Semper amara timens speret habere bona :
 Sancius vt viuas, memorare nouissima semper,
 Ledunt nam iacula visa perante minus.
 Respice cotidie, mortis quia tempus adesse
 Festinat, que simul prospera cuncta ruet.

Hic loquitur quod sunt modo pauci, qui aut propter celi affectum aut gehenne metum huius vite voluptatibus renunciant; set quecumque caro concupiscit, omni postposita racione, ardencius perfidere conantur.

Cap^m. xxi. Qui sibi commemorans, puto, singula ponderat eque,
 Senciet a fine gaudia vana fore :
 Nunc tamen a viciis est quilibet infatuatus,
 Quod de fine suo vix memoratur homo.
 Quisque suum corpus colit, et de carnis amore
 Gaudet, et est anime causa relicta sue :
 Gloria nec celi mentes neque pena gehenne
 A mundi labe iam reuocare queunt.
 Sic caro, sic demon, sic mundus vbique modernos
 Deuiat, vt Cristi vix sciat vnus iter :
 Est caro que fragilis, demon versutus, iniquus
 Mundus, in hoc hominum tempore regna colunt :
 Et sic bruta quasi perit humane racionis
 Virtus, dum vicium corporis acta regit.
 Est homo nunc animal dicam, set non racionis,
 Dum viuit bruti condicione pari.
 Nescia scripture brutum natura gubernat,
 Iudicis arbitrium nec racionis habet :
 Est igitur brutis homo peior, quando voluntas
 Preter naturam sola gubernat eum.
 Corporis, heu ! virtus per singula membra revoluens

1151 comixta H

Naturam viciis seruit ad acta foris ;
 Ac anime racio carnis viciata vigore
 De virtute nichil interiori sapit.

Morigeri cicius modo sunt derisio plebis,
 Et scola peccati iustificabit opus :
 Que solet illa viros veteri de more beare,
 Iam noua virtuti frena libido mouet.
 Inter eos mundi quibus est donata potestas,
 'Sic volo, sic iubeo,' sunt quasi iura modo.
 Succumbunt iusti clamantes, 'Ve ! quod in orbe
 Impia pars hominum singula regna terit.'
 Vis prohibet leges, euertunt crimina mores,
 Virtus peccati turbine quassa perit :
 Mundus turbatur, rerum confunditur ordo,
 Involuitque simul omnia grande chaos.

Squalidus in terra sic stat genitor genitusque,
 Quod natura suo vix stat in orbe loco.
 Liuor et ambicio, gula, fraus, metuenda libido,
 Ira, tumor mentis, scismata, laudis amor,
 Ambiciosus honor, amor et sceleratus habendi,
 Ipse voluptatis vsus et ecce malus,
 Furta, rapina, dolus, metus et periuria, testes
 Sunt mundi quod erit ammodo nulla fides.

Hic loquitur de variis vindictis occasione peccati in hoc
 seculo iam quasi cotidie contingentibus, que absque ius-
 torum virorum meritis et oracionibus nullatenus sedari
 poterunt.

Cap^m. xxii. Ecce dies veniunt, predixit quos fore Cristus,
 Et patuere diu verba timenda dei.
 Precessere fames, pestis, motus quoque terre,
 Signaque de celo, stat quoque guerra modo :
 Nititur aduersus regnum consurgere regnum,
 Gens contra gentem, sic patet omne malum.
 Vt pecoris sic est hominis fusus modo sanguis,
 Victa iacet pietas, et sinit ista deus :
 Est et adhuc vindex extenta manus ferientis
 Continuans plagas, nec timet vllus eas.

1186 mouet] tenet EDLT
 Cap. xxii. Heading a quotidie CED

Longanimis domini sentencia sepe moratur,
Vir bonus inmunis nec malus vilus erit.
Quem deus ille ferit, nullo valet orbe tueri,
Si non contritum culpa relinquat eum.
Mortem peccantis non vult deus, immo misertus
Vult ut vertatur, quo sibi vita datur:
Est pius ipse deus, scripturis sicut habemus,
Pro Sodomis Abrahe dixerat ipse pie: 1210
'Inter iniquorum tot milia tu populorum
Redde decem iustos, et miserebor eis.
Est michi nam soli proprium miseris misereri,
Multis pro paucis parcere curo libens.'
O deus, ergo tibi quid dicam, quomodo nostri
Luctus continui sunt tibi nugae quasi?

Nonne decem iusti modo sunt, meritis ut eorum
Stellifer ipse dies curet in orbe malos?
Aut deus oblitus est immemor ad miserandum,
Dormit vel fingit, aut sibi facta latent. 1230
Verius ut dicam, deus est accensus, et ignis
Fulminat inde Iacob, iraque lata furi:
Sic et plasma suum plasmator abhorret, et ipsum
Torquet pro factis que videt ipse malis.

O, qui mentali videt ex oculo mala nostra
Omnibus in gradibus continuare dies,
Dicere tunc poterit quod talia nullus ab euo
Impunita diu crima vident homo.
Quis status ille modo, quin sit transgressus, et ordo,
Quem iustum dicam, deficit unde sciām. 1240
Hoc nisi gratis emat, dubito prope quod generalis
Decasus nostre prosperitatis adest:
Set quia de summis gradibus mala progrediuntur,
Est qui summus eos corrigat, ipse deus.

Hic loquitur sub compendio recapitulando finaliter de singulis mundi gradibus, qui singillatim a debito deuiantes ordine virtutes diminuendo extingunt, et ea que viciorum sunt augmentando multipliciter exercent.

Cap^m. xxiii. Dudum prelatus solum diuina gerebat,
Nunc propter mundum nescit habere deum:
Curatus cure dudum seruuit, et ipse

Nunc vagus exterius circuit omne genus:
Dudum presbiteri casti, nunc luxuriosi;
Ocia que querunt plurima dampna fouent:
Ex studio mores dudum didicere scolares, 1250
Nunc tamen econtra stat viciata scola:
Indivisus amor monachos sibi strinxit ut ardent,
Nunc petit inuidia claustra tenere sua:
Asperitas dudum fratres in carne domabat,
Regula set mollis ammodo parcer eis:
Dudum milicia fuit et sibi gracia prompta,
Gracia nunc tarda stat, quia vita mala:
Mercator dudum iustum peciit sibi lucrum,
Nunc quoque fraude sua querit habere lucra:
Simplicitas animi fuerat sociata coloni,
Nunc magis indomitum cor gerit ipse ferum:
Lex dudum iusta nulli parcebat amica,
Quam vigor argenti subdit ubique sibi.
Par status imparibus est actibus attenuatus,
Exceditque suum quisque viator iter.

Sic pietas humilis teritur, que superbia regnat;
Liuer adest agilis, torpet et omnis amor:
Permanet ira ferox, et abit pacientia supplex,
Viuit et accidia, sollicitudo perit: 1270
Ebrietas, non sobrietas, tenet ammodo mensas,
Feruet et in viciis crapula plena cibis:
Casta pudicitia dudum precingere lumbos
Affuit, et modo vult soluere luxus eos:
Nuper larga manus inopi sua munera spersit,
Nunc cupid et bursam claudit auara tenax.

Dic modo quot viciis modo sola superbia mundum
Ad variis sceleris precipitauit opus:
Dic quot liuer edax acies sua signa sequentes
Subdidit imperio vique metuque suo:
Dic quot avaricie manibus vel mente rapaci
Intendunt populi iura negando dei;
Quot gula deliciis torpet, quot torpor inanes
Carnis adulterio fedat in orbe suo.
Singula nempe vorat anime caro, sic quod ubique
Subdidit inmundam crimine mundus eam:

1256 parcit CE 1278 opes S

Singula fallacis mundi dulcedo subegit,
Nos tamen inmundos mundificare nequit.

Iam in fine libri loquitur magis in speciali de patria illa
in qua natus fuerat, vbi quasi plangendo conqueritur, qualiter
honores et virtutes veteres a variis ibidem erroribus
superuenientibus, ut dicitur, ad presens multipliciter ener-
uantur.

Cap^m. xxiv. Singula que dominus statuit sibi regna per orbem,
Que magis in Cristi nomine signa gerunt, 1290
Diligo, set propriam super omnia diligo terram,
In qua principium duxit origo meum.
Quicquid agant alie terre, non subruor inde,
Dum tamen ipse foris sisto remotus eis;
Patria set iuuenera que me suscepit alumpnum,
Partibus in cuius semper adhero manens,
Hec si quid patitur, mea viscera compaciuntur,
Nec sine me dampna ferre valebit ea:
Eius in aduersis de pondere sum quasi versus;
Si perstet, persto, si cadat illa, cado. 1300
Que magis ergo grauauit presenti tempore, saltem
Vt dicunt alii, scismata plango michi.
Vna meo sensu res est, que pessima cunctis
Iam poterit dici fons et origo mali.
Heu! quia iusticia procul abcessit fugitiua,
Cessit et est alibi pax sociata sibi:
Pax, que iusticie dudum solet oscula ferre,
Nunc fugit a terra, ius perit ecce quia.
Plures iam nocui sumunt sibi regna magistri,
Vis iubet et velle, iura nec vla videt: 1310
Nunc vbi se vertit magnas, sine iure sequuntur
Leges, set populus inde subibit onus:
Corpore sique meo non tantum torqueor, immo
Sunt michi pro minimo res quibus vtar ego.
Non est de modicis quod adulterium modo ledit;
Que caro deposit omnia namque licent.
In terris aliis Venus et si predominetur,
Exsoluunt meritis hoc aliunde suis;
Est ibi nam posita lex, que communis ad omnes
Iudicat, et causas terminat absque dolo: 1320

Non status aut sexus, non dona, preces, timor aut quid
Possunt a minimo tollere iura viro:

Et sic iusticia redimit quodammodo culpam
Carnis, que fragili condicione cadit.

Set nos in patria non solum vincimur ista
Ex carnis stimulo, quo stimulatur homo;
Immo suas metas lex transit nescia iuris,

Sicque per obliquas patria nostra vias
Denuat in tanto, quod, dicunt, amplius ordo
Non erit in nostris partibus: vnde deus 1330
Visitat has partes vindicta, qualis ab euo
In nullo mundi tempore visa fuit.

Non tamen est terra que gaudet in omnibus vna,
Set magis in nostra fit modo virga fera:
Clamor vbiique, vide, non solus conqueror ipse;
Culpas tam patulas est reticere nephias:
Sic fleo cum flente, lex fallit, fallor et ipse;
Stat mea nam grauibus patria plena malis.

Nos, quibus assueuit numquam crudeliter vti
Fatum, iam pressos sternit vbiique reos.

Que fuerat tellus omni preciosa metallo,
Iam nequit ex plumbo pondus habere suum;
Dignior argento, fuluo quoque dignior auro,
Nobile que genuit, vix valet esse quadrans.
Nuper dixerunt quicumque venire solebant,
'Venimus ad portus, vbera terra, tuos.'

Nunc tamen vt sterilis reputaris et es, quia mores
Nunc neque diuicie sunt aliquando tue.

Quo ferar, vnde petam mestis solacia rebus?
Anchora iam nostram non tenet vla ratem.

Sic mea, que stabilis fuit, infirmatur iniquis
Patria iudicii, iura negando viris:

Sic gentis domina, quasi iam viduata, tributa
Reddit peccato, statque remota deo.

Sic que morigera fuerat, nunc est viciosa;
Dudum legifera, nunc sine lege fera:

Sic ea que larga fuerat, nunc tollit egena;
Que fuerat sancta, fit Venus ipsa dea:

Est sale iam spersa, fuerat que fructibus ampla,

1340 suum SG suo CEHDL

Et velut vrtica, que solet esse rosa :
 Que fuerat pulera, quasi monstrum stat reputata ;
 Fit caput in caudam, sic terit omnis eam.
 Scandala feda parit nouiter transgressa nouerca,
 Omnis que laudis mater et hospes erat :
 Que fuit angelica nuper, nunc angulus extat,
 Languet et in tenebris sorde repressa magis.
 Patria, quam famam dicunt habuisse sororem,
 Est magis infamis omnibus ipsa locis :
 Que fuerat digne super omnes celsior orbe,
 Nunc deus est alibi, subditur ipsa quasi :
 Ordine retrogrado quicquid sibi laudis habebat
 Cedit, et instabilis vndique spreta iacet.
 Firma mouet, ruit alta, terit modo forcia discors
 Error, et innumera spergit vbique mala :
 Torpescunt proceres, clerus dissoluitur, vrbes
 Discordant, leges sunt sine iure graues :
 Murmurat indomitus vulgus, concrescit abysus
 Peccati solitus ; sic dolet omnis humus.
 Hinc puto quod seuit pes terreus in caput auri,
 Et lupus agnorum cornua vana timet.
 In meritis hominum solum deus aspicit orbem,
 Et sua de facto tempora causat homo.

1360

1370

1380

1390

O sterilis terra morum, sani viduata
 Consilii, lesa nec medicamen habens,
 Dic vbi fortuna latitat modo, qua reputabas
 Nuper in orbe tuum non habuisse parem.
 Si Lachesis sortem tibi contulit esse dolosam,
 Iam venit ipsa tui reddere pacta doli :
 Nunc palletque tuis nigris Aurora venenis,
 Cuius lux aliis fulsit in orbe magis ;
 Nuncque iuuentutis flos que tibi creuit habunde
 Aret, et a viciis inveterata peris ;
 Fedaque nunc volucris, venturi nuncia luctus,
 Concinit in fatis bubo propheta tuis.
 Scit deus hanc causam specialius esse notandam,
 Qua locus iste modo distat honore suo :
 Hoc scio, quod cunctis locus in proverbia crescit,

1380 Et lupus SHDL Pastor et CG (ras.) Lupus et E 1388 reddere
 SEHG solvere CDLT

Et quasi nunc speculum denotat omnis eum.
 Talia per terras fatali lege geruntur,
 Vt reputant, set ego non ita stare puto :
 Non est fortuna, que talia causat habenda,
 Nec sors, set merita nostra per acta mala.
 Qui tamen hanc stare modo credit et hanc reuocare
 Vult, purget crimen, sic reuocabit eam :
 Gracia prompta dei querentibus inuenietur,
 Nam sibi conuersis vertitur ipse deus.
 Dum pia pro pace cecinit processio terre,
 Firmaque iusticia fecerat acta sua,
 Dumque fides steterat et amor sine labe manebat,
 Tunc, quia pax viguit, sors bona cuncta tulit. 1410
 Nunc igitur nostra sit vita deo renouata,
 Ne sors fortuita plus queat esse mala :
 Vota vetusta precum redeant domino dominorum,
 Vt redeat dominus cum pietate suis ;
 Per quem pax et honor et tempora sana redibunt,
 Que pro peccato sunt fugitiua modo.
 Prospera qui veteris vult temporis esse renata,
 Reddat et emendet facta priora nouis.
 Est deus ipse piis prius et seuerus iniquis,
 Sic valet ob meritum quisquis habere deum.
 Nos igitur, domine, tua gracia, que solet olim
 Ferre reis veniam, te miserante iuuet :
 Anticipet pietas tua nos, ne dicat eorum
 Gens, 'Vbi sit dominus, qui solet esse prius ?'
 Da, precor, accessum lacrimis, mitissime, nostris,
 Nam sine te nullum scis quod habemus opem :
 Nunc tua pro lapsis nitatur gracia rebus,
 Nostra nec anterior sit tibi culpa memor :
 Numquam pigra fuit causis tua gracia nostris :
 Est vbi nunc illa, que solet esse salus ?
 Nos peccatores sumus, et tu plus miserator,
 Scit bonitasque tua nos opus esse tuum :
 Si plus peccaret vir, plura remittere posses,
 Materiam venie sors tibi nostra dedit.

1420

1430

^{1409 f.} commune regebat Perstitit in nobis tunc honor atque salus EDLTH,
 (gerebat E) 1411 Sint igitur nostra bona facta deo renouata EDLTH,
 (reuocata L)

Si quociens homines peccant, tua fulmina mittas,
Exiguo presens tempore mundus erit:
A te pendentem sic cum circumspicis orbem,
Auctor, pacificum fac opus esse tuum.
Nos, deus alme, tui serui, quamuis modo tardi,
Te, non fortunam, credimus esse deum : 1440
Scimus te solum super omnes esse colendum;
Sic nostri solus tu miserere, deus!

Hic loquitur qualiter ea que in hoc presenti libello quasi sompniando de mundi scripsit erroribus, non ex se tantum, set ex plebis voce communi concepit. Consultit tamen finaliter quod, si quis inde se culpabilem senciat, priusquam nobis peiora succedant tempora, suam ex humili corde culpam penitens emendet.

Cap^m. xxv. Hos ego compagi versus, quos fuderat in me Spiritus in sompnis: nox erat illa grauis.
Hec set vt auctor ego non scripsi metra libello,
Que tamen audiui trado legenda tibi:
Non tumor ex capite proprio me scribere fecit
Ista, set vt voces plebis in aure dabant.
Quem sua mens mordet, de voce sit ille remorsus,
Curet vt in melius que tulit egra prius: 1450
Qui tamen immunem se sentit, ab inde quietus
Transeat, et meritis sic stet vterque suis.
Quem non culpa grauat mea non sentencia culpat,
Leditur hinc nullus, sit nisi forte reus:
Ne grauet ergo tibi, gibbosus namque panelli
Et non sanus equus ferre recusat onus.
Non tamen in specie quemquam de pondere culpe
Accuso, set eo se probet intus homo:
Non ego mordaci distrinxi crimine quemquam,
Nec meus vilius crima versus habet. 1460
Que sompno cepi, vigilans mea scripta peregi,
Sint bona dicta bonis, et mala linquo malis:
Omnis enim mundum gemit esse dei laceratum
Vindicta nostri pro grauitate mali.
Ergo suam culpam contrito corde, priusquam

1451 immunen S 1454 Text SCEG Sic precor vt nullus DLT
1455 Text SCEG Detrahet inde michi DL Se trahit inde michi T

Consumpti simus, corrigit ipse malus.

Corrigit hic mundum, qui cor retinet sibi mundum:
Cor magis vnde regat, hec sibi scripta legat.
Quod scripsi plebis vox est, set et ista videbis,
Quo clamat populus, est ibi sepe deus. 1470
Qui bonus est audit bona, set peruersus obaudit,
Ad bona set pronus audiat ista bonus.
Hec ita scripta sciat malus, vt bonus ammodo fiat,
Et bonus hec querat, vt meliora gerat.
Mundus non ledit iustum, bene dummodo credit,
Quando set excedit, mundus ad arma redit:
Mundus erit talis, fuerit viuens homo qualis,
Obstet vitalis quilibet ergo malis.
Culpa quidem lata, qua virtus stat viciata,
Cum non purgata fuerit set continuata, 1480
Que meruit fata sunt sibi fine data.

Explicit libellus qui intitulatur Vox Clamantis, editus precipue super articulo primi infortunii, quod infortunato Ricardo secundo in primordiis regni sui, vt audistis, quasi ex dei virga notabiliter in Anglia contingebat. Et nunc viterius, quia ipse non inde remorsus, immo magis ad modum tiranni induratus, regnum suum assiduis oppressionibus incessanter flagellare non desistit, diuine vindicte flagellum vsque in sue depositionis exterminium non inmerito assecutus est. Tres namque tunc regni nobiles super hoc specialius moti, scilicet Thomas Dux Glouernie, 10 qui vulgariter dictus est Cignus, Ricardus Comes Arundellie, qui dicitur Equus, Thomas Comes de Warreyk, cuius nomen Vrus, hii vero vnanimes cum quibusdam aliis proceribus sibi adherentibus, vt regie malicie fautores delerint, ad dei laudem regnique commodum in manu forti iusto animo viriliter insurrexerunt, prout in hac consequenti cronica, que tripartita est, scriptor manifestius declarare intendit.

1469 f. Text SCEHG (in ista E) per scripta cauebis Que mala sunt, ideo te dabis atque deo DLTH_s (perscripta D) 1479-81 DLTH_s have two lines only, as follows:—

Omnibus ipse tamen peior sum, sed releuamen

Det michi per flamen conditor orbis. Amen.

1480*

EXPLICIT, &c. Explicit libellus qui intitulatur Vox Clamantis (omitting the rest) EDTH_s Explicit liber intitulatus Vox clamantis (omitting the rest) L 4 virga dei CHG 12 Warwyk CH